JO

APOCALYPSIS

JOANNI APOSTOLO VINDICATA

SCRIPSIT

ERNESTUS GUILIELMUS KOLTHOFF,

THEOL. LICENT.

HAFNIÆ, MDCCCXXXIV.

APUD C. A. REITZEL.

TYPIS EXCUDEBAT *P. N. JÖRGENSEN.*

Jesus Christus dominus noster atque redemtor quum in eo esset, ut morte cruenta munus sibi a patre demandatum perficeret, discipulis suis visibili ipsius præsentia mox destituendis Spiritum Sanctum promisit, alium paracletum, tristissimos eorum animos solatio haud fallaci erigens. Apostolis enim ecclesiæque ab iis conditæ et propagatæ lætissimisque incrementis post adauctæ Dei Christique Spiritum neque defuisse neque defuturum esse, Christianis persuasissimum est. Eum veritatis ducem, eum vitæ veræ atque beatæ auctorem veneratur ecclesia, quæ divini spiritus communione in unum corpus conjungitur, multiplici charismatum copia perfusum.

Eundem spiritum discipulis futura annuntiaturum esse, dominus pollicitus est, prophetiæ gratiam iis concessum iri indicans. Versatur nimirum prophetia christiana in futura regni divini sorte delineanda [1]), excipit filum Veteris Testamenti inter-

[1]) C. J. Nitzsch Syst. d. christl. Lehre §. 35.

ruptum [1]) et quem venturum esse cecinerunt vates antiqui, eundem rediturum celebrat. „Maran atha" tessera est ecclesiæ, summam spei christianæ his verbis comprehendens: rediturus est ad judicium habendum, rediturus ad regnum suum consummandum. Adumbrat prophetia christiana præter hanc ultimam rerum lineam ecclesiæ vicissitudines, earum cum reditu Christi nexum explicans. Quæ mentis oculis sunt oblata, picturæ instar symbolice describuntur; continua serie sistuntur, quæ temporis intervallo haud exiguo sunt sejuncta; triumphantis ecclesiæ spes, ex qua prophetiae germen accrescit, semper obversatur animo futura canenti, et quum addatur ecclesiæ militantis imagini, quæ res mox instantes imprimis refert, propior dici videtur, quam reapse est.

Sicuti in historia Christi enarranda, in doctrina christiana tradenda, in Christianis consolandis, adhortandis, castigandis Apostolorum exempla habemus normam nobis prososita m: ita in sermone prophetico exhibendo præivit quoque Apostolus: ne inferius videretur Novum Testamentum Vetere, quod pulcherrimis profundæ prophetiæ floribus gaudeat. Est ipsa Sacra Scriptura rerum omnium imago, incipiens a creatione mundi tradenda, desinens in consummationem mundi annuntiandam; ut libro Apocalypseos revelatæ institutionis cyclum perfecisse dicendus sit Joannes Apostolus.

[1]) 1 Maccab. 4, 46. 9, 27. 14, 41.

Constat, hujus libri authentiam apostolicam a multis esse impugnatam [1]) eumque non nostris tantum temporibus sive spurium habitum sive alii cuidam Joanni tributum. Quare quum etiam ex recentioribus criticis haud pauci non sine magno substilitatis et doctrinæ apparatu contra Joannem Apostolum Apocalypseos auctorem disputarent, operæ pretium nobis visum est, sententiam nostram in hac re contrariam argumentatione denuo retractata, quantum fieri potuit, vindicare.

Quæ scrutatio et utilitate sua et jucunditate pariter nobis arrisit: sacræ enim scripturæ auctoritas ita confirmari, accuratior ejus cognitio ita proficere videbatur. Qui enim Apocalypsin a Joanne Apostolo scriptam negant, canonicum quidem librum eum agnoscunt, attamen auctoritatem ejus nonnihil imminuere videntur. „Inter gemmas etiam," ut cum Erasmo [2]) loquamur, „nonnihil est discriminis et aurum est auro purius ac probatius. In sacris quoque rebus aliud est alio sacratius." Non eadem mensura omnibus contigit spiritus divinus: Apostolum autem præ ceteris docentem audire cupimus. At neque hac solum de caussa, quæ aliis forsan minoris videatur momenti, Apocalypseos originem Joanneam vindicandam esse statuimus; accedit, quod hæc quæstio, ut sequentia docebunt, arcte

[1]) Cujus dissensus historiam cognosces ex Lückio Einl. in d. Offenb. p. 226 sqq. p. 453 sqq.

[2]) Annot. in N. Test. Apoc. fin.

cohæret cum aliis, quarum gravitatem omnes agnoscere oportet. Agitur nimirum de ea auctoritate, quæ concedenda sit antiquæ ecclesiæ testimoniis, agitur de indole scriptorum Novi Testamenti ab omni fraude aliena, agitur de internæ, quæ jactatur, criseos usu justis limitibus circumscribendo, ut maneat sacris literis sua veneratio, contra opiniones temere prolatas vindicata.

In disquisitione jam instituenda eum servabimus ordinem, ut primum externa, deinde interna authentiæ argumenta exploremus, objectionibus hinc illinc petitis simul examinatis. Brevitati quantum fieri potest consulemus; quæ ab aliis jam satis exposita intellexerimus, paucis absolvemus, ut ubi ab aliorum subsidiis relinquimur, uberiores simus.

Caput primum.

Externa argumenta pro authentia Apocalypseos apostolica.

§. 1.

Libri cujusdam authentiam internis argumentis et demonstrari et refutari posse, vix est quod dubitemus. Sed hac via semper esse incedendum, non concedimus, quum multis libris desint ejusmodi criteria, quæ ad quæstionem solvendam sufficiant. Sæpe igitur accidit, ut hæc argumentatio in subsidium quidem vocari, at nequaquam litem dirimere possit. Quod ad libros Novi Testamenti attinet, nemo facile contenderit, ex iis solis doceri posse, quis singulorum fuerit auctor. Quare optatissimum evenit, ut externa accesserint testimonia, quibus factum est, ut in auctore libri cujusdam sacri indagando nunquam ecclesiæ traditione destitueremur. Neque vero hæc traditio ejusdem est aut antiquitatis et ponderis aut perspicuitatis et constantiæ in singulis auctoribus indicandis. Quo minus externa testimonia sibi constant, quo magis remota sunt ab ecclesiæ primæva, eo majorem auctoritatem internis argumentis jure tribuimus.

Patet, non cujusvis ævi ecclesiæ eandem auctoritatem in testimoniis de auctore libri cujusdam sacri dicendis largiendam esse; antiquiori ecclesiæ

in hac sicuti in aliis rebus major habenda est fides: „quod prius, id verius."

Maxima igitur auctoritate, si externam argumentationem spectamus, gaudet sæculi secundi de libro sacro consensus: quæ Apostolorum discipuli et qui ab iis fuerant edocti tradiderunt, iis fides historica non est deroganda: illorum temporum consensus veritatis fundamento superstructus recte statuitur. More etiam receptum est ab iis, qui de horum argumentorum indole judicare valent, ut qui liber præter antiquiora vestigia communem Irenæi, Tertulliani, Clementisque Alexandrini assensum præ se ferat, eum externis argumentis satis munitum censeant. Irenæi testimonium in scriptis Joanneis dijudicandis ad quæstionem dirimendam maximi esse ponderis, tantum non omnes concedunt. [1])

§. 2.

Externorum argumentorum ratione habita, Apocalypseos authentia evicta est constanti sæculi secundi traditione, per terras christianas quam maxime disjectas propagata.

Huic thesi accuratius exponendæ sequentia inservient [2]). Primum in animo est indubia hujus

[1]) Hemsen d. Auth. d. Schr. d. Ev. Joh. p. 92 sqq. Lücke Comment. üb. d. Briefe d. Ev. Joh. p. 248. de Wette Einl. ins N. Test. §. 109.

[2]) cfr. Lardner the credibility of the gospel history. supplem. T. 3. p. 355 sqq. Wetstenii Nov. Test. tom. 2. p. 744 sq. Wolfii cur. phil. crit in N. T. tom. 4. p. 369

ævi testimonia ex Justino Martyre, Irenæo atque Tertulliano afferre, quibus authentia apostolica probetur. Justin. Mart. dial. c. Tryph. ed. Paris. p. 308 coll. Eus. h. e. 4, 18. Irenæus contra hæres: 4, 20. §. 11. 21. §. 3. 30. §. 4. 5, 26 §. 1. 30. §. 1. 3. 35. §. 2. 36. §. 3. coll. Euseb. h. e. 3, 18. 5, 8. Tertullian. adv. Marcion. 3, 14. 24. 4, 5. de præscription. hæretic. 33. 46. advers. Hermogen. 22. 34. adv. Prax. 17. (adv. Jud. 9.) contra Gnostic. 12. de anim. 8. 9. de pudicitia. 19. (cfr. Semleri Indices in Tert. opp. p. 174 sqq.)

Indubia hæc vocamus testimonia, licet nos haud lateat, locum Justini fuisse dubitationibus subjectum: quæ quum firmo fundamento destituantur [1]), ut addubitata dubia censeamus, efficere nequeunt.

sqq., ubi quoque L. Twells exam. critic. N. T. græco-anglicani p. 387 sqq. Schmid hist. & vindic. canonis. p. 497. Michaelis Einleit. Th. 2. §. 275 sqq. Hartwig Apologie d. Apokal. Corrodi Beleuchtung d. Gesch. d. Kanons. Th. 2. p. 311 sqq. Eichhorn Einl. in d. N. Test. 2 B. 2 H. §. 193. Hug Einleit. 2 Th. §. 184. Ewald commentar. in apocal. §. 8. Lücke Einleit in d. Offenb. §. 30—37 all.

[1]) Lange (Gesch. d. Dogm. 1. p. 135 ff. cfr. K. J. Nitzsch Theol. Studien. 1stes St. p. 9.) internis argumentis dialogum Justini spurium judicavit; at eum refutavit W. Münscher (v. comment. theol. ed. Rosenmüller, Fuldner & Maurer T. 1. P. 2. p. 184 sqq.) Eadem argumentandi via fretus Rettig (D. erweislich älteste Zeugniß für d. Aechtheit d. Apocalypse) verba Justini in hac re gravissima eliminanda conjecit; at vide Schott Isag. §. 114 n. 2. Lücke

Quanti sit ponderis horum testium consensus, manifestum est. Ex orbis christiani regionibus quam maxime disjectis patres ecclesiæ, qui in his rebus quam maxime versati, de iis optime edocti erant, nulla omnino dissensus mentione facta, Joanni Apostolo Apocalypsin tribuunt. Crescit eorum auctoritas, quo accuratius eos examinamus. Justinus Martyr, qui, natus anno fere 90mo p. Chr., medio sæculo secundo floruit, Palæstinam, Ægyptum, Italiam, Asiam minorem itineribus viserat: ex quibus ad ipsius librorum sacrorum cognitionem fructum haud exiguum redundasse, quis dubitabit? Est præterea ejus testimonium tantæ antiquitatis, ut pro paucissimis N. T. scriptis antiquius afferri possit. Scriptus videtur dialogus cum Tryphone anno fere 140 (Rettig l. c. p. 51); pertinet igitur Justini testimonium ad eandem ætatem, ac Polycarpi et Papiæ pro 1ma epistola Joannea; neque ipsi Evangelio Joannis antiquiora comparari possunt suffragia [1]). Optatum profecto evenit, ut eum virum primum Apocalypseos apostolicæ testem adducere possemus, qui in ipsis illis regionibus, ubi Apocalypsis divulgata est, versatus esset: at non minus optatum, eum addere testem, qui in scriptis Joan-

l. c. p. 280 sq. (coll. Joh. evang. 1, 6. Justin. dial. c. Tryph. ed. Paris. p. 327. 333. Epiphan. hær. 30, 13. ed. Colon. 1682. tom. 1. p. 137.)

1) Igitur Ewaldius comm. p. 57 temere conjicit: „evangelium et epistolam prius quam Apocalypsin legi vel Johannis haberi coepisse videri."

neis dijudicandis litem dirimere optime possit, Irenæum dico Lugdunensem. Qui quum natus esset in Asia proconsulari, Polycarpi aliorumque, qui Apostolos viderant, consuetudine jam puer usus est: ipse se illius temporis probe recordari asserit, quo Polycarpus suæ cum Joanne Apostolo familiaritatis mentionem fecit, quo eorum, qui Dominum viderant verba retulit: ipse provocat ad presbyterorum relationem, qui cum Joanne Apostolo vixerunt, ad ecclesias apostolicas (veluti Ephesinam) veraçes christianæ traditionis testes (Euseb. 3, 23. coll. Iren. adv. hær. 2, 22. §. 5. epist. ad Florinum Euseb. 5, 20. epist. ad Victor Eus. h. e. 5, 24. Iren. adv. hær. 3, 3. §. 4. 5, 33. §. 3. 3, 4. §. 1.) ipse denique — id quod quæstionem omnino absolvere videtur — in numero Apocalyptico (Apol. 13, 18) constituendo et ad σπουδᾶια καὶ ἀρχᾶια ἀντίγραφα et ad μαρτυρίαν „αὐτῶν ἐκείνων τῶν κατ᾽ ὄψιν τόν Ἰωάννην ἑωρακότων" provocat, aperte indicans, apostolicam Apocalypseos authentiam eorum testium auctoritate niti, quibus nulli esse possint fide nostra digniores. (Eus. 5. 8. Iren. adv. hær. 5, 30. §. 1.). Apostolicæ traditionis veritatem per Irenæum asservari, docet quoque Hieronymus, quum (ep. 29 ad Theodoram) eum „Papiæ, auditoris evangelistæ Joannis, discipulum" vocat: quod non videtur improbandum: Papias enim (Iren. adv. hær. 5, 33. §. 4. coll. Hieron. catal. 18.) Ἰωάννου μὲν ἀκουςὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑτᾶιρος dicitur. Neque solum ipse Irenæus Apocalysin Apostolo tribuere nullo modo dubitat, sed

ne ab aliis quidem de ea re dubitatum esse ullo verbo indicat, licet alias ejusmodi dissensum notare haud negligat: evangelio enim Joannis a quibusdam contradici (adv. hær. 3, 11. §. 9.) refert, in iisque refutandis versatur. Terrarum ambitus, in quibus Apocalypsis communi consensu recipiebatur, quantus fuerit, Tertullianus testium probatorum numero tertius addendus ostendit, qui de Apocalypsi ad Joannem apostolum referenda haud incertus hoc libro frequentissime utitur, idque etiam eo tempore, quo nondum ad Montanistarum castra se converterat. Præterquam quod Marcion (cfr. infra §. 3) Apocalypsin respuit (adv. Marc. 4, 5) nulla ei cognita est de hoc libro dubitatio, quam certe, si qua fuisset, acriter impugnare non omisisset ille vir, ad fidei defensionem semper paratus.

Evictum igitur est patrum jam laudatorum auctoritate, primævam ecclesiam in Apocalypsi Joanni Apostolo tribuenda ubique consensisse, neque levissimum alius originis suspicandæ vestigium præbere. Receptus erat liber noster in canonem antiqvæ versionis latinæ — qvod ex scriptis Tertulliani (cfr. adv. Marc. 2, 9. adv. Prax. 5.) efficitur — confirmatur antiquo ecclesiæ Romanæ canone, cujus fragmentum exhibet Muratori Antiq. Ital. med. æv. t. 3. p. 854. Qui quo tempore sit confectus, de eo non consentiunt critici: neque tamen multum a vero aberrare videmur, si eum sive fini sæculi secundi sive initio sæculi tertii tribuamus. cfr. Hug Einleit. Th. 1. p. 161. Th. 2. p. 482 sq. Bleek

Einleit. in d. Brief an d. Hebräer. p. 121. Guerike Beitr. z. Einl. ins N. T. p. 7.

Si id tenemus, quod tenendum esse monstravimus, nullum in ecclesia fuisse dissensum de Apocalypsi Apostolo tribuenda, — id quod sequentis temporis impugnatio ex subjectivis rationibus profecta nusquam ad ecclesiæ testimonia provocans satis confirmat — dubitari non posse [1]) quisque intelliget, quin Clemens Alexandrinus testibus jam adductis sit adjungendus (cfr. quoque Origenis sententiam §. 6). Utitur enim haud raro Apocalypsi, ejusque auctorem Joannem nominat eumque prophetæ titulo ornat. (ed. Sylb. Pædag. 1, 6. p. 43. 2, 10. p. 87. 2, 12. p. 89. Strom. lib. 3. p. 202. lib. 4. p. 226. p. 230. lib. 6. p. 291 imprimis p. 283.) Eum neque Apocalypsin in Hypothesibus suis præteriisse, sequi videtur ex Eus. h. e. 6, 14. Qvod solum contra hujus testimonii evidentiam proferri potest, Joannem nimirum illum Apostolum non vocari, nullius plane est ponderis; neque enim ecclesiastica traditio de auctore libri consentiens id ullo modo exigere potuit, ut Clemens in Apocalypseos auctore indicando accuratior esset, quam ubi alias de eodem Apostolo loquitur: quem simpliciter Joannem nominari et vel eo a ceteris facile discerni, concessum est. (cfr. Pædag. l. 1. c. 6. p. 44. Strom. lib. 2. p. 167. lib. 3. p. 188. 191.) Ad-

[1]) Dubium id reddere voluit Stäudlin Beitr. z. Erläut. d. bibl. Propheten. Stuttg. 1786. p. 250 sqq.

duci quoque possit, si necessarium videatut, Irenæi exemplum: qui quin Apostolo Apocalypsin vindicaverit nemo dubitat, licet idem eum et Evangelii et Apocalypseos auctorem „Joannem, domini disciplum" vocare amet (contra hæres. l. 3, 1. §. 1. 16. §. 5. 11. §. 1. 3. §. 4. l. 5, 18. §. 2. l. 2, 22. §. 5. — l. 4, 14. §. 2. 17. §. 6. 18. §. 6. 20. §. 11. 21. §. 3. 30. §. 4. l. 5, 26. §. 1. 28. §. 2. 34. §. 2. 35. §. 2.).

Habemus igitur eorum, qui in hisce rebus dirimendis summæ sunt auctoritatis, consentientia suffragia, id est, certam et historicam primævæ ecclesiæ traditionem. Qua demonstrata, ad ea nos convertemus argumentationis nostræ subsidia, quæ alia antiquitatis christianæ monumenta nobis offerunt.

Quam pauca sint scripta nobis servata, quæ ipsis Apostolorum discipulis jure tribui possint, inter omnes constat: atque in iis rarissima esse documenta usus librorum N. T., æque notum est, ut ex Apocalypsi ab iis non laudata [1]) nemo facile sumere audeat libri nostri impugnandi materiem. Quibus relictis, ad Papiam Hierapolitanum pervenimus, rerum Apostolicarum testem oculatum, qui quin

[1]) Hartwigius (Apolog. 4 Th. p. 149 ff.) vestigia Apocalypseos in epistolis Ignatianis et in epistola Polycarpi se reperisse putat: sed hæc aliis vix probabuntur. Multo melius Polycarpi pro Apocalypsi testimonium ex Irenæo evincitur: ipse enim in rebus Joanneis ad illum provocat, et, ubi de Apocalypsi sermo est, eorum utitur testimonio, qui Apostolum viderant. vid. supra.

auctoritate sua Apocalypsin vindicaverit, injuria dubitari videtur. Nam Andreas Cappadox et Arethas in præfationibus commentariorum diserte asserunt, Papiam τὸ ἀξιόπιςον hujus libri testari, ut περὶ τοῦ θεοπνεύςου τῆς βίβλου uberius dicere superfluum sit. Quibus verbis non tantum id efficitur, Papiam Apocalypsin cognitam habuisse eique auctoritatem haud exiguam tribuisse: verum origo Apostolica non obscure indicata videtur. Qui enim præter Papiam testes adducuntur — Irenæus, Methodius, Hippolytus, Gregorius theologus et Cyrillus (Alexandrinus) — Joanni apostolo librum nostrum adscribunt: quid igitur verosimilius, quam Papiam quoque ejusdem sententiæ auctorum ducere? Testimonii pondus eo augetur, quod Papias ab Andrea in commentario citatur (cap. 34. p. 52 ed. Sylb.). Accedit, quod, si quæ jam disputavimus perpendis, hanc Papiæ de Apocalypsi sententiam exspectandam dices. Sic ergo argumentis haud infirmis usi traditionem de Apocalypsi Joanni Apostolo tribuenda ad ipsum ævum Apostolicum usque referendam monstravimus, Polycarpum (ex Irenæo) & Papiam testes adducentes. Quorum testimonia alterum altero fulciri et firmari videntur: ad eandem enim ætatem pertinent, uterque ultra mediam secundi sæculi partem vitam ducentes. (cfr. Rettig in: Theol. Stud. u. Krit. 1831. 4 H. p. 766 sqq.) Traditionem Joanneo-Apostolicam uterque asservasse existimandus est.

Restat, ut Andreæ de Papia testimonium contra dubitationes prolatas vindicemus. Quod Papiae

temporibus multo inferior est Andreas, — vixit sæculo 5to exeunte (cfr. Rettig in theol. Stud. und Kritik. 1831. H. 4. p. 734 sqq. Lücke Einl. p. 264. n. 2.) — testimonium ejus dubium non reddit: Papiæ enim scripta quum sibi cognita esse ostendat, injusta foret erroris suspicio. Imprimis vero objiciunt Eusebii hac in re silentium. Quod autem quum Andreæ assertioni non contradicat, hic ut accuratior in traditione servanda præferendus videtur; quæ quidem ejus diligentia ab Apocalypseos commentatore aliena vix dici possit. Accedit, quod ipsius Eusebii de Papia narrationi h. e. 3, 39. inesse videntur, quæ Andreæ veracitatem stabiliant. Multus quidem est Eusebius in eo studio describendo, quo Papias τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης amplexus est, posthabitis traditionibus scriptis. Inter μυθικώτερα ista, quæ ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα in libris suis exposuit, Eusebio teste id quoque dixit: „χιλιάδα τινὰ ἐτῶν ἔσεθαι μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάςασιν, σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας ἐπὶ ταυτησὶ τῆς γῆς ὑποςησομένης." Quam sententiam eum τὰς ἀποςολικᾶς παρεκδεξάμενον διηγήσεις, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυςικῶς εἰρημένα μὴ συνεωρακότα recepisse putat Eusebius: quo minus vero eam ex Apocalypsi (20, 4 sqq.) ipsi probatam fuisse statuamus, nihil impedit: Papiam enim Apostolorum scripta minime neglexisse, ex eodem Eusebii loco (fin.) satis elucet.

Apocalypsin a Valentino quoque hæretico receptam fuisse, sequi videtur ex Tertull. de præ-

scription hæretic. c. 38 et ex Irenæo adv. hær. 1, 3. §. 6. 3, 12. §. 12. Nam „integro instrumento", „τῶν εὐαγγελικῶν καὶ τῶν ἀποςολικῶν" usus esse dicitur, idque ab iis patribus, qui ipsi Apocalypsin in canonem suum receperunt. Quum autem hujus rei accuratiora documenta desint, eam dubiam esse non negamus.

Post mediam secundi sæculi partem frequentiora invenimus vestigia et usus et originis libri nostri. Melito Sardius scripsit, teste Euseb. 4, 26. τὰ περὶ τοῦ διαβόλου καὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ιωάννου" („de diabolo librum unum et de Apocalypsi Joannis librum unum" ut Hieronym. catal. 24 refert). Ad Joannem igitur, id est ad Apostolum — nam de alio Joanne libri nostri auctore nulla in hoc ævo ne levissima quidem suspicio — Apocalypsin retulit vir, in rebus criticis versatus (Eus. l. c.), magni in Asia minori nominis (Eus. 5, 24), illiusque ecclesiæ episcopus, cui Apocalypsis sine dubio optime cognita erat, quæque eam vix recepisset (cfr. Apoc. 3, 1 sqq.), nisi esset liber genuinus, ab Apostolo profectus [1]). — An Athenagoras (legat. pr. Christ. p. 39 ed. Paris. 1615) ad Apoc. 20, 13 respexerit, dubium est.

Theophilum Antiochenum in sua contra Hermogenem diatribe ex Apocalypsi μαρτυρίας petiisse refert Euseb. 4, 24.: ex quo non solum id patet, Apocalypsin tum temporis usu communi fuisse receptam,

[1]) cfr. Storr Neue Apologie d. Offenb. Joh. p. 165 sqq.

verum — sicuti jam supra ex constanti ecclesiæ de auctore traditione usum Apocalypseos auctoritatem ejus et originem Apostolicam monstrare probavimus — eam Joanni Apostolo adscriptam fuisse: id quod Eusebii verba (κέχρηται μαρτυρίαις) confirmare videntur, librum indicantis authenticum cfr. Eus. 2, 23. 3, 3. 39. Apocalypseos rationem fortasse habuit Theophilus in libro ad Autolycum 2, 28. edit. Paris. 1636. p. 104. coll. Apoc. 12, 9. 10.

Confirmatur nostra verborum Eusebii explicatio et augetur testium authentiæ Apocalypseos numerus iis, quæ de Apollonio (Ephesino) narrat Euseb. 5, 18. Apollonius nimirum, contra Montanistas scribens, „κέχρηται μαρτυρίαις" ex Apocalypsi Joannis, mortuumque Ephesi ab eodem Joanne divina potentia suscitatum esse narrat. Præcedit huic narrationi apud Eusebium traditio de Apostolis ab Apollonio servata. Dubium igitur esse nequit, quin hoc testimonio apostolica libri authentia confirmetur.

Epistola quoque ecclesiæ Lugdunensis et Viennensis, ad frates κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν de persecutionibus M. Aurelii (anno 177) missa, (Eus. 5, 1. 2. 3.) Apocalypsin citat (Eus. 5, 1. init. Apoc. 14, 4. fin. Apoc. 22, 11. Euseb. 5, 2. coll. Apoc. 1, 5. 3, 14) idque his verbis: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.

Si paucis comprehendimus, quæ attulimus, patet traditionem de Apocalypsi a Joanne Apostolo scripta historicæ esse auctoritatis. Originem enim secundum testimonia haud obscura ex Polycarpo et Papia, Joannis discipulis, ducit; proficiscitur ex ea

regione, cui præ aliis libri origo nota esse et potuit et debuit, profertur a viris, quos ad testimonia in hac re dicenda idoneos esse omnes concedunt: a Justino, qui Ephesi, ab Irenæo, qui Smyrnæ fuerat, a Melitone Sardensi, ab Apollonio Montanistarum adversario (Ephesino?). Quæ traditio non obscure serpit, sed palam propagatur, regionesque christianas quam maxime disjectas mox occupat: habet enim testes non tantum in Asia minore, verum etiam in Syria (Theophilum Antiochenum), Alexandriae (Clementem), Romae, in Gallia et Africa (Irenæum, Tertullianum), nullaque prorsus auditur dissentientium in ecclesia vox.

§. 3.

Marcionis et Alogorum hæresin Apocalypsi quoque inimicam, nullius esse ponderis critici in authentia librorum sacrorum examinanda, vix est, quod moneamus.

Marcion [1]) („Antonini fere principatu, sub episcopatu Eleutherii benedicti" Tert. de præscript. hær. 30) „Apocalypsin respuit" (Tert. adv. Marc. 4, 5): at non eam solam, sed cetera quoque Joannis scripta (adv. Marc. 3, 14. de carne Christi. c. 3.) atque aliorum N. T. auctorum, adulterato Lucæ evangelio Paulique epistolis exceptis (Iren. contr. hær. 3, 12. §. 12. Epiph. hær. 42, 9.).

[1]) vide Hug Einleit. Th. 1. p. 65 sqq. Hahn d. Evang. Marcions. p. 51 sqq. p. 86 sqq. cfr. Tertull. de præscr. hær. c. 51. (de Cerdone).

De Alogis cfr. Epiphan. hær. 51, 3. (Philastr. de hæres. 60) „ἐπεὶ τὸν λόγον οὐ δέχονται τὸν παρὰ Ιωάννου κεκηρυγμένον, ἄλογοι κληθήσονται" dicit Epiphanius de his hæreticis, chiliasmo & Montanismo infestis. An eorum mentio fiat a Dionysio Alexandrino apud Euseb. h. e. 7, 25, non omnino liquet. Hi non solum Apocalysin, verum omnia scripta Joannea („τὰ βιβλία τὰ ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ιωάννου κεκηρυγμένα") rejecerunt, arbitrariae temeritati indulgentes. „Αἰσχυνόμενοι — ut Epiph. dicit — ἀντιλέγειν τῷ ἁγίῳ Ιωάννῃ" — ea, historico fundamento plane destituti, Cerintho tribuunt, ideoque ex canone ejiciunt („οὐκ ἄξια αὐτά φασιν εἶναι ἐν ἐκκλησίᾳ"). Ecclesiæ autem auctoritati confirmandæ inservit, quod illi hæretici Apocalypsin et Evangelium ejusdem auctoris esse negare non sunt ausi. De argumentis, quibus Apocalypsin oppugnarunt, cfr. Berthold Einl. 4ter Th. p. 1840 sq. 1867 sq. Lücke Einl. p. 304 sq. Paulus Heidelberg. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 449 sq.

§. 4.

Sæculo secundo relicto, incidimus initio sequentis in Cajum, presbyterum Romanum, cujus de Apocalypsi sententiam diverso modo constitui satis constat. Quare necessarium ducimus, quid nobis hac de re statuendum esse videatur uberius exponere [1]).

[1]) cfr. Hartwig Apolog. Th. 1. p. 33 sqq. Schmid hist. et vind. can. p. 535 sqq. Hug Einl. Th. 2. p. 593 sqq.

Zephyrino Romæ episcopo, Cajus Presbyter librum conscripsit contra Proclum Montanistam, cujus pauca fragmenta Eusebius servavit. Qui, ubi de Cerintho agit, (h. e. 3, 28) hæc Caji verba citat, ex illo dialogo desumta: „ἀλλὰ (ἄλλα) καὶ Κήρινθος (ὁ) δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποςόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάςαςιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ χριςοῦ καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν. καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ θεοῦ ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι." Constat nobis ex alio loco Eusebiano (6, 20), Cajum in hoc dialogo adversariorum in „καιναῖς γραφαῖς" componendis audaciam reprehendisse: sic ergo facile ad Cerinthi mentionem injiciendam delabi potuit, ejusdem criminis rei. Cerinthum portenta ab angelis sibi ostensa mentitum esse, fictis revelationibus, quibus magni Apostoli auctoritatem conciliare studeret. His scriptis voluptates sensuales esse promissas, eumque, sacrarum literarum odio adductnm simulque fallendi studio, mille annorum numerum nuptiis festivis constituisse, Cerinthus igitur — ut hæreticorum haud pauci [1] — libris sacris adul-

Paulus Hist. Cerinth. pars 1. §. 30. sqq. Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 453 sqq. (Lücke Einl. p. 307 sqq.)

[1]) Augustinus contr. Faust. 22, 79. „Legunt scripturas apocryphas Manichæi, a nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas. cfr. Epiphan. hær. 28, 5.

terandis fictisque supponendis occupatus fuisse dicitur. Ipsam autem nostram Apocalypsin ejusmodi figmentum Cerinthianum esse ne verbo quidem indicatur: contra de revelationibus variis loqui videtur, quibus impuræ voluptatis præmia spondeantur, et mille annornm tempus, scriptis divinis — uti videtur — commemoratum, fraudulenta interpretatione in alium sensum detorqueatur. Magni Apostoli auctoritatem revelationibus suis ementitis conciliare voluisse videtur: supponitur igitur, esse genuinum aliquod scriptum Apostolicum, quod suppositis illius revelationibus ansam præbuerit. Apostolicæ Apocalypseos similitudinem quandam servare studuisse Cerinthus videtur, quod analogia quoque aliorum figmentorum ex hæresi profectorum confirmat. Ut verbo dicam, fraus Corinthi veram Apostoli Joannis revelationem supposuisse, et a Cajo hoc nomine castigata esse videtur. Quod enim Montanismi impugnandi studio abreptum Cajum Joannis revelationem rejecisse dicunt, exigua admodum veri specie commendatur. Apollonius saltem (Eus. 5, 18) ejusmodi artificio opus esse non putavit: idem vero eandem, quam Cajus, notat in scriptis hæreticis ad apostolicorum imitationem fingendis audaciam („Θεμίσων . . . . . μιμούμενος τὸν Απόςολον καθολικήν τινα συνταξάμενος ἐπιςολήν.")

Interpretationi nostræ haud parum favet veterum auctoritas. Neque enim Eusebius Cajum de Apocalypsi Joannis loqui statuit, neque Theodore-

tus, illius traditionibus usus. Sunt quidem, qui ex ipso Eusebio contrariæ sententiæ argumenta petant: at haud firma, ut videtur. Eusebius scilicet illa Caji verba attulit 3, 28, ubi de Cerintho narrat, non repetit, ubi de auctore Apocalypseos sermo est. Addit verbis Caji locum ex Dionysio Alexandrino desumtum: hic autem mancum — nam ea tantum colligit, quæ ad Cerinthum pertinent — post (7, 25) uberius, ubi de auctore Apocalypseos agit. Theodoretus (fab. hæret. 2, 3) de Apocalypsi Joannis omnino non cogitat; οὗτος — de Cerintho refert — ἀποκαλύψεις τινὰς ὡς αὐτὸς τεθεαμένος ἐπλάσατο καὶ ἀπειλῶν (ἀγγέλων? ἀποςόλων?) τινων διδασκαλίας συνέθηκε κ. τ. λ. Aliam verborum Caji explicationem primus protulit Erasmus. (Annot. in N. Test. Apoc.)

Statuimus ergo, Cerinthum revelationum quarundam figmenta composuisse, Apocalypseos Joanneæ ratione habita. Cui sententiæ non obstat illud: „ἡμῖν" quod in loco Caji legitur; conferas enim Epiphan. hær. 26, 1. „τινὰ ἡμῖν παρειςφέρουσι κενοφωνίας ὀνόματα καὶ βίβλους πλάττουσι." Hujus libri memoriam tantum esse servatam, non miramur: habet enim hanc sortem cum multis libris communem. Ita simul explicari posse videtur, quo modo Alogorum aliorumque de Cerintho nostræ Apocalypseos auctore suspicio oriri potuerit. Neque Cerinthus solus in revelationibus apostolicis adulterandis versatus est: exstat, ut alias omittam,

apocrypha Joannis revelatio [1] et de revelatione Petri honorifica antiquitatis testimonia reperiuntur [2].

Cajum Romanum Apocalypsin Joanneam sprevisse, nullus nos docet scriptor ecclesiasticus. Neque enim referendus est ad illos τινὰς τῶν πρὸ ἡμῶν, quorum mentionem facit Dionysius Alexandrinus, (Euseb. 7, 25); accuratiori enim quam eorum exhibet delineationi non respondet, immo ipsa illa Dionysii verba sententiam describunt celebrioris viri auctoritate plane distitutam; ei igitur ignotum fuisse videtur, Cajum ejus auctorem dici posse. Neque Eusebius, neque Hieronymus, neque Photius ullum ejusmodi sententiæ vestigium servavit: quod certe mirum, si eam fovisset, quum Cajum epistolam ad Hebræos rejecisse non taceant (Euseb. 6, 20. Photius cod. 48. edit. Hoeschel p. 38). Accedit, quod quo major Caji celebratur auctoritas, eo minus credibile, eum Apocalypsin sprevisse: nulla enim ne levissima quidem Apocalypseos in ecclesia Romana addubitatæ vestigia monstrari possunt: Tertullianus, licet de epistola ad Hebræos Paulo abjudicanda (de pudicit. 20) cum Cajo consentiat, nullam contra Apocalypsin dubitationem cognovisse videtur. Verum jure exspectamus, si Cajus Apocalypsin sprevisset, id silentio plane singulari haud fuisse traditum, quum contra sentirent

¹) vide Eichhorn Einl. N. T. 2 B. 2 H. §. 201. Lücke Einl. §. 18.

²) Eichhorn Einleit. N. T. 2 B. 2 H. p. 494. Lücke Einleit. p. 47 sq.

ecclesiae Romanae scriptores cuncti et priores et seriores; idque eo minus, quod illa contra Proculum disputatio „valde insignis" fuit (Hieron. catal. c. 59.). Neque apud Origenem, quem eodem tempore, Zephyrino episcopo, Romæ fuisse apud Eusebium (6, 14) legimus, ullius contra Apocalypsin dubitationis motæ mentionem reperimus.

Quibus expositis hæc tantum addimus. Si — quod nos quidem negamus — Cajus Apocalypsin nostram Cerintho tribuit, nullius auctoritatis ejus est sententia, Alogorum errori omnino comparanda; id quod Lückius quoque concedit (Einl. p. 314). Miro autem modo Ewaldius Caji, ex ipsius sententia Apocalypsin reprobantis, auctoritatem amplificare studet, eam (p. 62. n. 2.) canonis apud Muratorium servati auctorem conjiciens [1]). Scilicet non animadvertit vir doctissimus, in illo canone Apocalypsin genuinam dici.

§. 5.

Priusquam primævæ ecclesiæ pro Apocalypsi testimonia per sæculum tertium persequimur, illam

[1]) Cajum hujus canonis auctorem facit Muratori (Antiqv. Ital. med. æv. t. 3. p. 851 sq.) cfr. Hug Einl. 2 Th. p. 482. n. 3. Quod si recte statuitur, patet, nostram de Cajo Romano, Apocalypseos vindice, sententiam omnino evictam esse. Cujus probabilitas haud parum augeretur, si Cajum Irenæi discipulum fuisse ex Actis Polycarpi colligere liceret. (Acta primor. martyr. ed. 2d. Ruinart. Amsteld. 1713. p. 45.)

necesse est examinemus objectionem gravissimam, quam ex versione Peschito petitam nobis opponunt.

De ætate hujus versionis dissentiunt docti harum rerum arbitri. Num eam Hegesippus (Eus. h. e. 4, 22), qui τῷ συριακῷ εὐαγγελίῳ usus dicitur, cognitam habuerit, perquam dubium videtur. Qui primus eam in usum suum convertisse probari potest, Ephraemus est, celeberrimus sæculi quarti monachus.

Sed si cogitamus, quantopere ecclesiæ literæque Syriacæ jam multo ante floruerint, tutissimum videtur, eam sæculi tertii initio ortam statuere.[1]).

Innotuit hæc versio Europæis sæculo decimo sexto, quum Ignatius Antiochenus Jacobitarum patriarcha eam per Mosen Merdenum in Europam missam typis exprimendam curavit (edit. Alb. Widmanstad. Vienn. 1555), duobus manuscriptis adhibitis. In hac versione edita deest præter epistolas catholicas antilegomenas Apocalypsis. „Rejecit ergo," hæc est objectio a nobis examinanda, „ecclesia Syriaca Apocalypsin, spuriam eam judicavit, ideoque haud dignam, quæ in canonem reciperetur. Hujus autem ecclesiæ sententia in rebus criticis summæ habenda est auctoritatis."

[1]) cfr. Hug Einl. 2 Th. §. 68. (assentiente Lückio Einl. p. 319). Ewaldius (comm. p. 60), Michaelis, Hassenkamp (Anmerkungen üb. d. letzte Paragraphen d. Einleit. Michaelis p. 25) eam sæculo antiquiorem putant, ecclesiæ Syriacæ, eam avo Apostolico vindicanti, nimium, ut videtur, tribuentes.

In hac disquisitione difficillima tractanda primum, num re vera defuerit Apocalypsis, explorabimus, deinde, si defuisse videatur, quid inde colligendum sit, ostendemus.

Antiquæ sacrarum literarum versiones conficiebantur, ut plebi recitarentur (cfr. Augusti's Archæolog 6 B. p. 118). Apocalypsin autem intellectu difficiliorem in prælectionibus ecclesiasticis raro fuisse adhibitam, satis constat [1]). Fieri igitur potuit, ut licet Apocalypsis ad versionem Peschito ab initio pertinuerit, postea tamen, usu ecclesiastico exemta, negligeretur, rarissime describeretur: ita omnino perire potuit. Pleraque scilicet manuscripta Syriaca partem tantum N. T. amplectuntur, ut quatuor evangelia, epistolas Paulinas, Acta Apostolorum, al.; multa lectionaria sunt. Sic quoque græca Apocalypseos apographa rariora sunt et olim fuerunt. Fieri igitur potuit, ut Apocalypsis in Peschito affuerit, licet postea perierit. Videamus, an nulla monstrent vestigia, eam vere fuisse receptam.

Græcam Syriæ ecclesiam non latuit Apocalypsis: Theophilus Antiochenus eam sæculo secundo in usum suum convertit. Nonne putandum est, vicinam quoque ecclesiam Syriacam librum recepisse, nullis adhuc dubitationibus subjectum? At ne solum conjecturæ indulgeamus. Habemus documentum

[1]) Lectiones ecclesiasticas ex Apocalypsi interdum fuisse desumtas, ex paucissimis tantum ecclesiæ occidentalis monumentis compertum habemus. (Augusti's Archäol. 6 B. p. 111. p. 114.)

haud dubium, quo Apocalypsin sæculo quarto in ecclesia Syriaca et Joanni apostolo tributam et eodem, quo reliqui libri sacri, honore habitam esse demonstrare possumus. Idem enim Ephraemus, quem ecclesiastici versionis Peschito usus testem produximus, Apocalypsi quoque utitur eamque Apostolo tribuit (Joanni theologo). Ephr. Syri opp. Syr. t. 2. p. 332. t. 3. p. 636. opp. græc. t. 1. p. 39. t. 2. p. 194. 252. 253. t. 3. p. (52) 146. 190 sqq. Quam autem eximiæ auctoritatis Ephraemus inter Syros fuerit, notum est; scripta ejus in nonnullis ecclesiis publice recitabantur (Hieron. catal. c. 115.) magnique Syrorum prophetæ nomine celebrabatur (Ebed-Jesu in Assem. bibl. or. T. 3. P. 1. p. 61.). Jure igitur nostro ex Ephraemo ecclesiæ Syriacæ de Apocalypsi sententiam colligimus.

Fac autem Apocalypsin in versione Peschito defuisse: illius tamen auctoritas eo non concuteretur, quum eam ab ecclesia Syriaca nequaquam repudiatam esse certo constet. Eam autem ad Peschito pertinuisse, vel eo probabile redditur, quod Ephraemus eam citat; is enim hanc versionem semper sequitur, nulla illius temporis alia versio Syriaca nobis cognita est, Ephraemus ipse græcam linguam non calluit. (Sozomen. h. e. 3, 16. Theodoret h. e. 4, 29. cfr. Hug Einl. 1 Th. p. 357. Lengerke de Ephraems S. S. interprete p. 4 sqq.)

Quæ jam exposuimus de Apocalypsi in ecclesia Syriaca recepta quidem sed neglecta, aliis indiciis firmari possunt. Versio Philoxeniana „facta 508 a

Polycarpo chorepiscopo Philoxeni, correcta a Thoma de Charkel 616" omnes N. T. libros continuit (Assem. bibl. or. t. 2. p. 334. White vers. Philox. t. 1. p. XV.): at exemplum ejus integerrimum (vide edit. White p. XXII sq.) Apocalypsin non habet. Num ad hanc versionem Philoxenianam pertinuerit, an ex ea profecta sit Apocalypsis syriaca, quam edidit Ludovicus de Dieu (Lugd. Bat. 1627), dubium est. — Sæculo septimo Jacobus Edessenus (opp. Ephraem. syr. t. 1. p. 192.) Apolypsin citat, eamque Joanni Apostolo tribuit. Quod Dionysius Barsalibi Amidensis, sæculo 12mo, Apocalypsin quoque commentario illustravit (Assem. bibl. or. T. 2. p. 157. 210), recentius est, quam quod ad rem nostram probandam aliquid conferat. Quum autem versionem Heracleensem, Jacobitis sacram, (Assem. bibl. or. T. 2. p. 94. p. 24.) sequutus sit, in ea Apocalypsin affuisse patet.

His, quæ disputavimus, ostendere voluimus, incertum dicendum esse, an versio Pesohito Apocalypsin excluserit, immo suspicandum, eam primo receptam, post sensim omissam esse [1]). — Verum etiamsi statuendum foret, versionem Peschito Apocalypsin nunquam recepisse, huic rei non tantum ponderis tribuendum esse, variis argumentis mon-

[1]) approbante Eichhorn Einl. N. Test. 2 B. 2 H. p. 433. Hug Einl. Th. 1. p. 356. Alii autem Ephraemi tempore syriacam Apocalypseos versionem a Peschito diversam fuisse statuunt. Bertholdt Einl. Th. 2. S. 635. Guericke Beitr. p. 3 ff. Lücke Einl. p. 320.

strari potest. Primum, non omnino evictum esse videtur [1]; totam versionem Peschito unius esse auctoris; quod si forsan jure dubitaretur, admodum minueretur in hac re vis probandi versionis sensim ortæ, sensim ecclesiæ auctoritate sancitæ. Deinde, ex quo tempore (Ephraemi nimirum) versionem Peschito ecclesiastica auctoritate frui scimus, ex eodem indubia authentiæ Apocalypseos testimonia ecclesia Syriaca nobis offert. Præterea consilium, quo hanc versionem exaratam esse constat (cfr. Augusti's Archæolog. 6 B. p. 118. 137.), commode explicare potest, cur Apocalypsis non fuerit recepta, licet de ejus authentia non dubitaretur: id quod sequentis temporis exemplo clarius evadet, summaque se commendat probabilitate, si neque Origenem neque Dionysium Alexandrinum ullum ecclesiæ dissensum cognitum habere perpendimus. Tandem argumento satis luculento probare possumus, libri cujusdam authentiam eo, quod in Peschito desit, omnino non suspectam reddi, si tantus quantus pro Apocalypsi evinci possit ecclesiæ consensus. Ex epistolis Joanneis et secunda et tertia in versione Peschito omittebantur (cfr. Cosmæ Indicopleustæ topograph. lib. 7. in Gallandii bibl. vet. Patrum t. 11. p. 535.). Quid inde colligit Lückius? „Wie die ältere syrische Kirche über unsern Brief geurtheilt habe, ist schwer zu bestimmen.“ (Lücke üb. d. Briefe d. Ev. Joh. p. 249).

[1]) Hug Einleit. Th. 1. p. 363. de Wette Einl. ins N. T. §. 11. cfr. Rich. Simon histoire critique d. vers. d. nov. test. p. 187.

Ne igitur plus eliciant quoad Apocalypsin; et, quemadmodum epistolarum anthentiam Irenæi testimonio evictam statuit idem ille interpres doctissimus (l. l. p. 248), ita ne dubitetur, quin Apocalypsis firmissimæ traditionis consensu Apostolo vindicetur.

§. 6.

Quibus impedimentis remotis, traditionis haud interruptæ seriem continuamus. Sæculum tertium constanti atque universali traditione eandem, quam jam ante vidimus, de auctoritate et authentia Apocalypseos sententiam retinet, nulla omnino alius originis historice traditæ mentione facta.

Sequentia id probabunt. Subjectiva Dionysii Alexandrini sententia excepta, — cfr. §. 7 — nulla ne levissima quidem de alio quodam Apocalypseos auctore fertur traditio, contra celeberrimi diversarum regionum ecclesiæ doctores eam libri sacri honore dignam habent, Apostoloque tribuunt. Initium faciamus ab Origene illo Adamantino, cujus auctoritatem in rebus criticis Novi Testamenti summam esse quis non concedit? Locum ex Origene affert Eusebius (h. e. 6, 25), quo ille Evangelium, Apocalypsin primamque epistolam Joanni Apostolo sine ulla dubitatione vindicat, de secunda et tertia epistola dubitari non tacet. Apocalypsi sæpe utitur, eam Apostolo nostro tribuens (opp. ed. de la Rue. T. 2. p. 347. 412. 525. T. 3. p. 60. 75. 105. 310. 405. 408. 867. 869. 947. 961. al.)

Hujus viri testimonio certissimo quid opponi possit, omnino non video. Accuratissime nimirum versatur in crisi Novi Testamenti; omnium canonis nostri librorum mentionem facit, dubitat de Paulina epistolæ ad Hebræos origine, secundam Petri epistolam, secundam et tertiam Joannis, epistolam Jacobi simulque Judæ epistolam non omnibus recipi refert (vide de Wette Einl. ins A. T. §. 23): at Apocalypseos authentiam ulli suspicioni subjectam fuisse omnino ignorat. Evictum ergo est, ad ejus usque tempus ecclesiæ de hac re traditionem constantem semper fuisse, quum neque ex ecclesiæ Alexandrinæ testimoniis neque ex etineribus studiorum gratia susceptis sibi quidquam innotuisse dicat, quo authentiæ firmitas labefieret.

Vindex Apocalypseos Origene paulo antiquior Hippolytus est, episcopus Portus Romani, quem Irenæi discipulum Photius (cod. 121) facit [1]). Scripsit ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως („de apocalypsi" Hieron. catal. 61.) apologetico, ut videtur, consilio, (Ebed. Jesu in Assem. bibl. orient. T. 3. P. 1. p. 15) interpretatione horum librorum simul allata (Andreas præf. comm. ed. Sylb. p. 2. Jacob. Edessen. opp. Ephraem. syr. t. 1. p. 192.). Forsan autem ille interpretis honor ei tributus referendus est ad alium librnm, quem

[1]) De Hippolyto vide Cave script. ecclesiast. hist. literar. Genev. 1705. p. 61 sqq. Hippolyti opp. ed. J. A. Fahricius. p. VIII sqq. Lücke Einl. p. 316 sq. Ewald Abhandl. z. orient. u. bibl. Literat. Th. 1. p. 1 sqq.

„de antichristo" composuit, in quo Apocalypsin, quam Joanni Apostolo, domini discipulo ac prophetæ, tribuit, frequenter allegat (opp. ed Fabric. c. 36—43. 47—50. 60. 61. 65. coll. Andreæ comm. in Apoc. ed. Sylb. p. 55. 59. 78.).

Nepos quoque, episcopus Ægyptiacus, stat pro authentia Apocalypseos, cui Chiliasmi doctrinam superstruxit (Euseb. 7, 24).

Testatur Joanneam libri originem et Methodius, Origenis adversarius (Bibl. græc. patr. auctar. ed. Combefis. P. 1. Paris. 1672. p. 70. 97. 109. Andreae comm. ed. Sylb. p. 2. 23. 49 sqq.) et Pamphilus, ejusdem apologeta (cfr. opp. Orig. ed. de la Rue. t. 4. p. 39 sqq.).

Tertulliani de Apocalypsi traditionem sequitur Cyprianus; scriptis divinis sanctisque eam annumerat, Joanni eam tribuit ejusque verbis sæpe utitur (de bono patientiæ ed. Oxon. 1682. p. 220. de habitu virgin. p. 97. de exhortat. Martyr. §. 8. ep. 34. 56. 63. al.); eumque communem suæ ecclesiæ suique ævi sententiam referre confirmant epistola presbyterorum Romanorum (epist. Cypr. 26.), auctor libelli ad Novatianum (opp. Cypr. p. 17. 21.) et liber de computatione Paschatis (opp. Cypr. p. 68). Ejusdem sententiæ post servatæ testes sunt Commodianus (instructiones advers. gent. deos c. 41. 43 sqq.) et Lactantius (instit. div. 2, 12. 7, 14—25. Epit. 42. 71. 72).

Huic testium gravissimorum catervæ ultimum addimus Victorinum de Petabio. Qui non solum

in scripto suo „de fabrica coeli" (Cave script. eccles. hist. liter. p. 95) Apocalypsin in usum suum convertit, sed (testant. Hieron. cat. 18. 74. in Ezech. c. 36. Cassiodor. inst. div. liter. c. 9) eam commentario quoque illustravit. Qui num perierit, an supersit (Maxim. bibl. vet. Patr. Lugd. T. 3. p. 414 sqq.), sub judice lis est. (cfr. Bleek Einleit. Brief. an d. Hebr. p. 180). Eum adhuc servatum esse, sed corruptum, idque forsan per Hieronymum, non temere conjici videtur (Ambros. Ansbert. Max. bibl. vet. Patr. T. 13. 404).

Patet igitur, pleniorem in authentia Apocalypseos vindicanda traditionis consensum vix posse cogitari.

§. 7.

Unanimem sæculi tertii in Joanne Apostolo Apocalypseos auctore agnoscendo traditionis consensum exposuimus. Neque vero prætereundus est vir, sagacitate ac doctrina conspicuus, qui, ecclesiæ testimonio spreto, aliam libri nostri originem finxit, sententiæque suæ modeste et speciose adornatæ fidem facere conatus est, Dionysium dico Alexandriæ episcopum (mortuus est 265). Cujus criticæ contra Apostolicam Apocalypseos authentiam disputationis capita nobis servavit Eusebius (h. e. 7, 25), ex quo patet eam non historicis testimoniis, sed argumentationibus subjectivis internis fuisse superstructam. Hoc igitur traditionis ecclesiasticæ

pro authentia Joannea consensum non tam interrumpi, quam confirmari, manifestum est.

Allegoristarum interpretatione impugnanda chiliasticisque opinionibus defendendis schismatis auctor factus est Nepos, episcopus Arsinoiticus. Qua lite orta atque continuata, fieri non potuit, quin Apocalypsis asseclis Nepotis subsidia haud spernenda parare videretur. Quare accidit, ut oppositæ partis sectatores nonnulli (τινὰς τῶν πρὸ ἡμῶν Dionysius eos vocat), neque numero neque auctoritate, ut videtur, valentes, rixandi studio abrepti, Apocalypsin Joannis Apostoli esse negarent, Alogorumque exemplum sequuti, a Cerintho eam fictam contenderent. Quorum opinioni nihil ponderis tribuendum esse, et ipsa ejus indoles et Dionysii exemplum nos docet. Schismati finem imposuit Dionysius, Coracione disputatione victo, scripsitque postea, harum rerum ratione habita, περὶ ἐπαγγελιῶν libros duos, quorum in altera Apocalypsin non esse Apostoli, sed Joannis cujusdam ignoti probare studuit, internis argumentis usus, traditione ecclesiæ prorsus neglecta. Ubi ergo sermo est de externis authentiæ argumentis, Dionysii sententia nullius omnino est momenti; eam examinare illius est loci, qui internam libri indolem explorabit. Libenter agnoscimus moderatum et sobrium Dionysii in hac re tractanda animum: eum vero in Apocalypseos a ceteris scriptis Joanneis differentia describenda justos fines excessisse, vel Lückius (Einl. p. 329) concedit, litemque contra Chiliastas sus-

ceptam ad hanc ejus sententiam formandam multum fecisse, jure conjicere licet. Quis præterea non intelligat, solis internis argumentis libri auctorem non esse indagandum? Justo plus indulsit Dionysius illi τοῦ ἕκαςα δοκιμάζειν beneficio, quod sibi datum esse gloriatur (Euseb. 7, 7).

§. 8.

Dionysii Alexandrini de Apocalypsi sententia, licet traditionis consensum nequaquam mutaverit nullosqne fere patronos sibi conciliare potuerit — id quod ecclesiasticæ traditioni veritatis documento inservit — tamen non omni vi caruit, ut ex Eusebio Cæsareensi cognoscere possumus. Veterum auctoritatem sequutus canonem exhibuit Eusebius librorum sacrorum (3, 25), variis classibus distinctis [1]). De quibus constituendis quum non plane consentiant critici, id solum observemus, eum scriptis ecclesiasticis opponere hæretica figmenta (ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ, τά τε παντελῶς νόθα καὶ τῆς ἀποςολικῆς ὀρθοδοξίας ἀλλότρια cfr. 3, 31), inter illa imprimis τὰ ὁμολογουμένα (τὰς κατὰ τήν ἐκκλησιαςικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάςους καὶ ἀνωμολογημένας γραφὰς) a τοῖς ἀντιλεγομένοις (ταῖς ἄλλαις παρὰ ταύτας, οὐκ ἐνδιαθήκοις μὲν ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομέναις ὅμως δὲ παρὰ πλείςοις τῶν ἐκκλησιαςικῶν γιγνωσκομέναις) discernere. Librorum ad

1) cfr. Lücke üb. d. neutest. Kan. d. Euseb. Hug. Einl. 1 Th. §. 20. Guerike Beitr. p. 16 sqq.

hanc ultimam classem pertinentium et nomine singulari (νόθα) et enumerandi ratione discrimen fecisse videtur (cfr. Eus. 2, 23), licet non adeo perspicue indicatum, quia scilicet omnibus antilegomenis et antiquorum scriptorum usus et publicæ recitationis honor communis fuisse videtur.

Antiquæ traditionis consensus perfectus postulavit, ut Apocalypsis libris ἀναμφιλέκτοις annumeraretur. Id quoque facit Eusebius: at non sine circumscriptione: ἐπὶ τούτοις τακτέον, addit ceteris ὁμολογουμένοις enumeratis, εἴγε φανείη, τὴν ἀποκάλυψιν Ἰωάννου. Similiter quoque antilegomenis (et nothis) allatis, ἔτι τε, inquit ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσιν τοῖς ὁμολογουμένοις. Cur vero, quærimus, classibus oppositis hunc librum annumerat? Τῆς ἀποκαλύψεως, respondet (3, 24), ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα. Sui ergo ævi in auctore Apocalypseos constituendo dissensum respiciens ita egit Eusebius. An magnus fuerit dissentientium numerus, magna auctoritas, quærere haud opus est: præter Dionysium et quos hic commemorat, neminem nominat Eusebius authentiæ Apocalypseos Joanneæ adversarium. Solius igitur Dionysii, viri doctissimi et celeberrimi, crisis concinne et sobrie exposita et metus forsan Chiliasmi sibi invisi (3, 39) eum commoverunt, ut Dionysii conjecturæ non omnem assensum denegaret (3, 39: εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον, εἰ μή τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος φε-

ρομένην Ἰωάννου ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι.) Attamen licet hanc hypothesin non prorsus spernat, sententiam oppositam ei prætulit (Demonst. ev. p. 386. ed. Paris. 1628), eamque solam antiquissima ecclesiæ traditione niti, haud dubium reliquit. Nam (3, 24) ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτυρίας ἐν οἰκείῳ καιρῷ τὴν ἐπίκρισιν δέξεται καὶ αὐτή (cfr. 3, 3). Veterum autem de Joanne Apostolo Apocalypseos auctore dubitationem nullam cognitam habet; Justinum, Theophilum, Apollonium, Irenæum, Origenem authentiæ testes inducit. Aliis quoque locis Apocalypsin libris antilegomenis adjicere (6, 13. 14.), ei omnino non in mentem venit. Ipse ille quem 3, 25 exhibet, librorum recensus traditionis Apocalypsin vindicantis pondus haud obscure indicat: ex scriptis enim antilegomenis sola Apocalypsis homologumenis additur: nominatur quoque in illorum classi, at quasi peregrina adjicitur, ut huic loco apta esse haud videatur.

Quare antiquæ ecclesiæ in Apostolo Apocalypseos auctore agnoscendo consensum ab Eusebio minime dubium reddi, manifestum est; ipsumque ab ecclesiæ traditione haud discessisse, quam maxime verisimile.

§. 9.

Quantillæ fuerint auctoritatis illæ contra authentiam libri nostri dubitationes a quibusdam motæ, docet quoque ecclesiasticæ traditionis post ea tempora constantia, perfectus celeberrimorum patrum

ex omnibus orbis christiani partibus consensus. Auctoritatis enim divinæ et authentiæ Apostolicæ libri nostri vindices sunt *Ephraemus Syrus*, *Athanasius*, *Didymus*, *Basilius Magnus*, *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyssenus*, *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Cyrillus Alexandrinus* ex ecclesia orientali, *Firmicus Maternus*[1]), *Hilarius Pictaviensis*, *Philastrius*, *Pacianus*, *Ambrosius*, *Tychonius*, *Prudentius*, *Sulpitius Severus*, *Rufinus*, *Innocentius Romanus*, *Hieronymus*, *Augustinus* ex ecclesia occidentali: accedunt *Concilium Hipponense* (anno 393) et *tertium Carthaginense* (anno 397)[2]). Traditionis seriem ulterius persequi, superfluum judi-

[1]) Quemadmodum de Clemente Alexandrino jure nosto supra contendimus, eum, traditionis constantiæ ratione habita, Joanni Apostolo, non Joanni cuidam ignoto Apocalypsin vindicare, ita hic quoque — quo magis illius ratiocinationis veritas confirmetur — eandem argumentandi viam quin ingrediamur non dubitamus. Nemo facile crediderit, Firmicum Maternum a traditione ecclesiæ unanimi discedere, licet Apocalypseos auctorem Joannem Apostolum esse non asserat, immo ne nominet quidem. (cfr. de errore profan. relig. c. 20. 25. 28. 29.) Loquitur tantnm de „sancta revelatione". Vestigium autem authentiæ Apostolicæ libri nostri id forsan dici possit, quod verbis Apocalypseos effata evangelii Joannei statim addere solet (c. 20. 28.).

[2]) Quibus testimoniis singulis afferendis haud opus est, quum ab aliis ea jam allata constet. Cfr. Millius Prolegomena in N. T. §. 226 sqq. Schmid histor. et vindic. Canonis. p. 498. Lücke Einl. p. 334 sqq. al.

camus; serioris enim ævi patribus, in authentia vindicanda antiquiores sequutis, nulla est critica auctoritas, qua traditio vera atque historica monstretur.

§. 10.

Evicta jam traditionis historicæ firmitate, restat, ut dubitationum quædam vestigia, licet nullius ponderis sint critici, paucis explicemus.

Distinguenda est quæstio de authentia libri cujusdam sacri a quæstione de usu ejusdem ecclesiastico. Quod illa non addubitabatur, librum quoque in ecclesia recitari non necesse erat: quod liber hoc usu excludebatur, authentiam ejus suspicioni subjectam fuisse non juste existimatur. Cujus rei documento Apocalypsis inservit. Jam apud Judæos similis mos observatur; nonnullos enim V. T. libros et sectiones non prælegebant (גנוזים), licet ea spuria non judicarent (cfr. Corrodi Gesch. d. Kan. Th. 1. p. 35. 151. Augusti Archäolog. 6 B. p. 79 sq. Origen. opp. de la Rue. tom. 1. p. 19. tom. 3. p. 848). Sic quoque Apocalypsis, ob rerum quas exponit obscuritatem ad plebis institutionem non idonea[1]), ab ecclesia (imprimis græca) librorum publice prælegendorum numero excipie-

[1]) „διὰ τὸ μηδὲ συμφέρον εἶναι τοῖς πολλοῖς τὰ ἐν αὐτῇ βάθη ἐρευνᾷν, μηδὲ λυσιτελές" dicit scriptor anonymus seculi 10mi (Montfaucon bibl. Coislin. P. 2. p. 277).

batur; unde liber ἀπόκρυφος, absconditus, secretus nominari solebat, nulla de authentia suspicione huic nomini conjuncta, ut scriptis δεδημοσιευμένοις, φανεροῖς, ecclesiasticis, manifestis opponeretur [1]). Quæ illius denominationis notio dubia esse nequit; cfr. Gregorium Nyssenum, qui, Apocalypsin citans, „ἤκουσα, inquit, τοῦ εὐαγγελιςοῦ Ἰωάννου ἐν ἀποκρύφοις πρὸς τοῦς τοιούτους δἰ αἰνίγματος λέγοντος" (opp. ed. Par. T. 2. p. 44). Vocabatur igitur hoc nomine, quia — ut Dionysii Areopagitæ verbis utar (opp. edit. Venet. 1755. tom. 1. p. 190) „τὴν κρυφίαν καὶ μυςικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ θεσπεσίου" continebat. Eundem loquendi morem sequitur Epiphanius, quem de authentia Apocalypseos neutiquam dubitasse constat; de Alogis (hær. 51, 3) hæc dicit: καὶ ἐι μὲν ἐδέχοντο τὸ εὐαγγέλιον, τὴν δὲ ἀποκάλυψιν ἀπεβάλλοντο, ἐλέγομεν ἄν, μή πη ἄρα κατὰ ἀκριβολογίαν τοῦτο ποιοῦνται, ἀπόκρυφον μὴ δεχόμενοι, διά τὰ ἐν τῇ ἀποκαλύψει βαθέως καὶ σκοτεινῶς εἰρημένα. Sic igitur factum est, ut hæc mystica prophetia usui catechetico et homiletico subtraheretur, iisque libris, qui in ecclesia erant prælegendi, (libris ecclesiasticis, canonicis, canonizatis) non annumeraretur. Cujus consuetudinis luculentissimo exemplo inservit Philastrius. Neque Apocalypsin neque ad Hebræos epistolam iis scriptis annumerat, præter quæ „non aliud legi in eccle-

[1]) cfr. can. Apost. can. 85. (opp. patr. Apost. ed. Cleric. p. 449.) Orig. contr. Cels. 1, 7. (ed. de la Rue. tom. 1. q. 325 sq.).

sia debere catholica statutum est ab Apostolis et eorum successoribus" (de hæres. 88). At procul abest, ut authentiam Apocalypseos addubitet: contra (c. 60) hæreticorum sectam notat, „qui Apocalypsin Joannis non accipiunt, et cum non intelligunt virtutem scripturæ nec desiderant discere, in hæresi permanent etc." Est igitur ipsi „scriptum absconditum" (c. 88) i. e. pertinet ad "apocrypha", quæ „etsi legi debent morum causa a perfectis, non ab omnibus legi debent." Apocalypsis publicæ lectioni haud apta videbatur ob rationes non criticas, see practicas: quemamodum de epistola ad Hebræos [1]) fatetur Philastrius (c. 89) „Quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in ecclesia, etsi legitur a quibusdam, non tamen in ecclesia legitur populo." — „Et quia et factum Christum dicit in ea, inde non legitur. De poenitentia autem propter Novatianos æque." Quibus consideratis, patet, nullam authentiæ suspectæ speciem præ se ferre Cyrilli Hierosolymitani verba, qui (cat. 4, 36) omnibus præter Apocalypsin libris utriusque foederis enumeratis, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα, addit, ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ. καὶ ὅσα μὲν ἐν ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σεαυτὸν ἀναγίνωσκε (cfr. catech. 4, 33. 35. Origen. opp. de la Rue. tom. 3. p. 849). Neque nobis mirum videbitur, eum in catechesibus suis Apocalypsi non uti, licet ejus vestigia monstrari forsan possint;

[1]) cfr. Hug Einl. Th. 2. p. 484 ff.

nec quidquam obstat, quo minus eum apocryphorum nomine Apocalypsin indicasse putemus (cat. 15, 16.). Tamen non dubitamus, quin librum nostrum ab Apostolo scriptum existimaverit, sicuti quoque Gregorius Nazianzenus traditionem ecclesiæ sequutus est (opp. ed. Col. T. 1. p. 516. Andr. comm. ed. Sylb. p. 2.), licet idem, omnibus N. T. libris præter Apocalypsin enumeratis, „πάσας ἔχεις", inquiat, „εἴ τι δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίοις" (carm. 33. opp. T. 2. p. 98).

Eodem modo explicandum est, quod Apocalypsis non recepta est sexagesimo consilii Laodiceni canone [1] (Mansi T. 2. p. 574) neque canonum Apostolicorum octogesimo quinto (Patres apost. ed. Clericus T. 1. p. 449.). Nam eo Apocalypseos neque authentiam neque auctoritatem impugnatam esse, sensit quoque Synodus Trullana, quæ canone secundo (Mansi Tom. 11. p. 940) tam concilii Laodiceni et canonum apostolicorum auctoritatem quam ecclesiæ Africanæ canonem, Apocalypsin recipientem, sancivit.

Quibus expositis, intelligimus, quid dixerit Hieronymus (ep. 129 ad. Dardanum.). „Quod si eam (epistolam ad Hebræos)," inquit, „Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsin Joan-

[1]) Spittler (Kritische Unters. des 60sten Laodic. Kanons.) eum spurium judicavit; Bickell (Ueb. d. Echth. d. Laodic. Bibelkan. Theol. Stud. u. Krit. 1830. 3. p. 591 sqq.), re diligentissime retractata, eum dubiæ fidei esse censet.

nis eadem libertate suspiciunt. Et nos tamen utraque suspicimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes" etc. Hisce enim verbis non dubitationes contra authentiam motas, sed usum libri in ecclesia neglectum indicari, historia nos docet.

Neque vero negamus, fuisse quoque, qui de authentia dubitarent: plerasque dubitationes neglecto illo usu ecclesiastico forsan esse provocatas atque nutritas conjicimus. Sunt vero harum dubitationum vestigia adeo obscura atque ignobilia, ut iis accuratius persiquendis et examinandis supersedere possimus [1]). Huc pertinent Jambi ad Seleucum, qui ab Amplilochio Jconiensi scripti nonnullis videntur (opp. Greg. Nazianz. ed. Colon. T. 2. p. 194.). Contra ejusmodi suspicionem disputat Sulpitius Severus (hist. sacr. 2, 31): libri in ecclesia usum inculcat Synodus Toletona (Harduin. Act. Conc. T. 3. p. 584). cfr. Lücke Einl. p. 344. p. 350 sqq.

§. 11.

Absolvimus externorum argumentorum enarrationem, idque nos ostendisse arbitramur, antiquam constantemque traditionem, historica relatione haud inferiorem, Apocalypseos authentiam firmissime vindicare, iisque, „quorum testificatione auctoritas verarum scripturarum ad nos pervenerit" (Chemnitz),

1) Horum ecclesiasticæ traditionis adversariorum opiniones omni auctoritate esse destitutas et Lückius (Einl. p. 355) et Paulus (Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H.) concedit.

de Apostolica libri origine omnine persuasum fuisse. Si igitur ecclesiæ traditioni in libris sacris recipiendis ulla habenda est fides, Apocalypsis a Joanne Apostolo scripta est. Quare nisi luculentissima internæ criseos argumenta ut contrariam sententiam amplectamur necessarie exigant, libri nostri authentiam omni suspicione eximendam esse jure nostro contendere nobis videmur.

Caput secundum.

Interna argumenta pro authentia Apocalypseos apostolica.

§. 12.

De crisi interna.

In auctore libri cujusdam indagando non sola testimonia externa esse examinanda, quisque concedet. Interna enim crisi et traditionis, forsan minus constantis, auctoritotem confirmari, et opinionis, temere admissæ atque creditæ, perversitatem refutari posse patet.

Quam idonea sit crisis interna, quæ cum externæ criseos subsidio conjuncta sacrorum librorum auctoritatem tueatur, satis cognitum est. Documento si opus esset, provocaremus ad primum et secundum caput evangelii Matthæi, quorum authen-

tiam haud infirmo subsidio munivit Gersdorf (Beitr. z. Sprach-Charakter. d. Schriftst. d. N. T. 1ster Th. p. 38 sqq.). Eandem crisin in libris sacris dubiæ traditionis examinandis quin recte adhibitam esse statuamus, non dubitamus.

At hæc crisis interna fines, quibus circumscribenda est, excessit, subjectivæ opinionis temeritati latissimos campos aperuit, difficultates, quas solvere scientiæ esset, ad reverendæ Scripturæ auctoritatem tollendam sufficere rata. Fidei vitæque christianæ normam Sacram Scripturam veneratur ecclesia evangelica, Apostolicæ veritatis monumenta hic agnoscit, Dei credit verba, pio animo atque submisso colenda. Quare literas sacras non nisi hominum ignobilium fraudes atque figmenta esse, persuaderi nunquam ecclesiæ poterit, et qnæ in ejusmodi commentis adornandis versatur crisis, veritati ac pietati inimica, non potest non ab ecclesiæ notari. Si porro non solum literas sacras agnoscit ecclesia, sed certos quoque libros hoc nomine ornandos esse credit, patet, nt Sacræ Scripturæ auctoritas incolumis maneat, eos libros genuinæ fidei normam semper esse habendos, quos plenus ecclesiasticæ traditionis consensus admiserit. Nam iis spretis, scripturæ fundamenta sperni manifestum est. Has autem leges sibi non scriptas opinati sunt critici haud pauci: quid enim quæso intactum reliquerunt? Joannis evangelium spurium judicarunt Eckermann, J. E. C. Schmidt, Vogel, Horst, Bretschneider; Acta Apostolorum a Luca scripta esse,

dubitat de Wette; idem contra priorem Petri epistolam suspicionem movet; primam Joannis epistolam Apostoli esse negant Lange, Cludius, Bretschneider, Paulus; ad Epheseos epistolam suspectam reddit de Wette; idem secundam ad Thessalonicenses interpolationibus corruptam statuit, præeunte Schmidtio; contra authentiam prioris ad Timotheum epistolæ argumentatur Schleiermacherus, contra omnes epistolas pastorales Eichhornius atque de Wette. Qui libri cuncti firmissimo nituntur traditionis antiquissimæ testimonio: eosque impugnatos videmus levissimis haud raro argumentis, quæ accurate refutare ne opus quidem est. Est profecto crisis sacra, digna, quæ in his libris scrutandis versetur, profecta ex pia Sacræ Scripturæ reverentia. At ea non ita loquitur de fidei norma, non abjecte, non temerarie de ea judicat. Sed audiamus, quales opiniones ista crisis in medium proferat. Evangelistam Joannem ita describit Bretschneiderus (Probabilia p. 112): „Quo negligentior videbatur in nomine Joannis ambiendo, eo sincerior quoque apparebat lectori, eo minus hic sentiebat fraudem." (p. 223) „Fuerunt utique in ecclesia, qui fraudem sentirent et impugnarent!" Qui in evangelio Joanneo Christo tribuuntur sermones, „frigidi, inepti, distorsi" dicuntur (p. 32. 61. 155). [1])

[1]) cfr. Schleiermacher üb. d. erst. Br. d. Paul. an d. Timoth. p. 11. 78. 129. 168. 205. 222.

Qui ita agunt, non discipulos, sed arbitros Sacræ Scripturæ se gerunt.

Hujus criseos argumentationem quam maxime esse arbitrariam sæpissime videmus. Manifestum ejus rei exemplum exhibent sententiæ de stylo priori ad Timotheum epistolæ latæ sibi invicem oppositæ. Schleiermacher (Ueber d. erst. Br. d. Paulus an d. Timoth. p. 34 sqq. p. 128.) ceteras omnes Pauli epistolas his literis elocutione præstare contendit; Eichhornius contra omnes epistolas pastorales perspicuitate, concinnitate, elegantia ornatas dicit, quæ in ceteris Pauli epistolis desideretur (Einl. 3 B. 1 H. p. 319).

Hæc non eum in finem scripsimus, ut nobis licere videretur, objectiones a crisi interna contra Apocalypseos authentiam prolatas obiter solum attingere, quasi crisis illa digna non esset, quæ argumentis refutaretur; agnoscimus enim, internæ criseos vim in Apocalypsi impugnanda non esse vilipendendam, quum vel eximiæ doctrinæ atque pietatis viris se probare potuerit. At primum ita apparet, librum sacrum non mox esse dubiæ authentiæ existimandum, quod sit in dubium vocatus. Deinde vero patet, Apocalypsin hanc sortem cum multis libris N. T. habere communem, quos tamen crisis accurate et sobrie instituta in pristinum authentiæ locum jure restituit. Qui igitur et traditionis consensum in Apocalypsi Apostolo tribuenda et internæ criseos levitatem in rebus vel certissimis impugnandis cognitam habet, spem fovet, fore, ut

in hac quoque quœstione, historiæ veracitas de subjectivo opinionum arbitrio victoriam reportet.

Argumentatio jam incipienda duobus constat capitibus. Primum explorabimus, quemnam ipsius libri indicia auctorem esse jubeant; cui disquisitioni accedent nonnulla ex historia Joannis Apostoli. Altero capite ostendemus, quid ex interna Apocalypseos indole, cum reliquis scriptis Joanneis comparata, ad auctorem constituendum elici possit; quæ quidem pars in objectionibus — imprimis Ewaldii et Lückii — examinandis potissimum versabitur.

Sectio prior.

De auctore Apocalypseos ex ipsius libri indiciis indagando.

---

§. 13.

Auctor Apocalypseos se Joannem Apostolum esse indiciis haud dubiis profitetur, eundem ergo, quem constans ecclesiæ traditio fide dignissima auctorem esse nos docuit. Locorum sequentium consideratio thesin nostram evincet.

Apoc. 1, 1. 2. Qui revelationem accepit, Joannes nominatur, Ιησοῦ Χριϛοῦ δοῦλος, ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ιησοῦ Χριϛοῦ, ὅσα εἶδε. Quod δοῦλος I. X. vocatur, dignitatem ejus apostolicam non evincit; est enim hic

titulus latioris ambitus, quod, etiamsi disertis N. T. locis (Col. 4, 12. Phil. 1, 1.) probari non posset, ex ipsa rei natura manifestum esset. Quum Apostoli nomini conjungatur (2 Petr. 1, 1.), ab eo recte discernitur. Apostolum autem hoc nomine apte uti posse, nemo negabit; idque nostro loco factum esse, verba addita nobis persuadent. Dicitur enim idem Joannes doctrinam Dei atque testimonium de Christo professus esse (sive publica professione promulgasse) eaque, quæ professus sit, vidisse. Conjunguntur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ ἡ μαρτυρία I. Χρ. (cell. 1 Cor. 1, 6. Act. 22, 18) ad summam fidei christianæ exprimendam, ut sæpius in Apocalypsi (confr. 1, 9. 6, 9. 20, 4. 12, 11.). Verba commatis nostri non tantum hominem christianum describunt, — id enim aliis verbis fieri solet Apoc. 12, 17. 14, 12. 19, 10., — sed doctorem simul christianum, quod imprimis verba ultima ὅσα εἶδε ostendunt. Quid enim aptius indicant, quam fidei promulgatæ veritatem præconi omnino certam, oculorum testimonio superstructam fuisse? — Quæ ubi conjunxeris, auctorem habes Joannem, doctorem christianum, eorum, quæ de evangelio tradidit [1]), testem oculatum. Eodem modo Joannes Apostolus primæ epistolæ suæ lectoribus se indicat: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. Notissimum est, morem esse

[1]) Intelligenda sunt illa verba de ἀγράφῳ κηρύγματι, non ut Lampio aliisque placuit, de evangelio scripto.

Joannis Apostoli, præconii veritatem eo confirmare, quod oculis suis percepta se tradere asserit (cfr. 1 ep. 4, 14. evang. 1, 14. 19, 35: ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε). Id autem semper tenendum est, non eam scriptoris in se describendo ἀκρίβειαν esse postulandam, qua cuivis dubitationi sagacitatis speciem præ se ferenti via præcludatur. Ejusmodi anxietas quum a ceteris Apostolis est aliena, tum a Joanne imprimis, cujus neque evangelium neque epistolæ auctoris nomine diserte inscribuntur. Quare non est mirandum, quum critici nonnulli neque in evangelio neque in epistolis Apostoli auctoris documenta reperire potuerint (Bretschneider Probab. p. 110, 167.), ea Apocalypsi quoque deesse ipsis visa esse, licet auctorem multo accuratius describat, quam prima epistola Joannea (cfr. Lücke Comm. üb. d. Brief. d. Joh. p. 10 sq.). Nostro autem commate quin Joannes Apostolus revelationem accepisse dicatur, Lückius quoque non dubitandum esse declarat (Einl. p. 240); neque, nisi lectione contra auctoritatem criticam mutata, Ewaldius verborum nostrorum significationem tollere potuit. Patet vero, haud facile dici posse, quo modo Apostolus contra hujus criseos conamina librum tueri potuerit. Fac enim, Joannem se Apostolum nominasse: nonne demonstrassent critici, Apostoli nomen latiore sensu esse sumendum (Act. 14, 4. 14. Rom. 16, 7. 2 Cor. 8, 23.)? nonne dixissent: en discrimen manifestum! Joannes evangelista Christi Apostolum se nusquam nominavit! Quo argumento eos usuros fuisse, Dio-

nysii exemplum nobis ostendit, qui (Eus. 7, 25) ex eo, quod nomen suum non reticuit Apocalypseos auctor, objectionis ansam sumit.

Qui revelationem accepit, idem eam literis consignavit; cfr. Apoc. 1, 4. 9. 19. 4, 1. 10, 4. 22, 8. Qui visionem apocalypticam exponit, eam sibi contigisse aperte indicat. Si igitur Joannes Apostolus Apocalypsin vidit, eam quoque scripsit, ipso libro testante.

Præter ea Apostolicæ dignitatis indicia, quæ 1, 1. 2. continentur, alia accednnt non minoris ponderis.

Inscribuntur literæ Apocalypticæ (1, 4. coll. v. 11) salutatione septem Asiæ minoris ecclesiis dicta; inter eas Ephesina est, cui Joannem Apostolum diu præfuisse traditio certa, historica nos docet: præter eam ecclesiam aliæ adduntur ejusdem regionis, cujus eundem Apostolum curam gessisse ex eodem fonte compertum habemus: singulis ecclesiis, quarum conditionem auctor Apocalypseos optime, accuratissime cognovit, summa cum auctoritate, Christi nomine scribit, eas consolans, adhortans, castigans: iisdem ecclesiis, quisnam esset, qui epistolas dedisset, cognitum fuisse maximam præ se fert veri similitudinem: neminem latuit, qnis esset ille Joannes, Domini servus, rerum christianarum testis oculatus, qui simpliciter assereret: ἐγὼ Ιωάννης, ὁ ἀκούων καὶ βλέπων ταῦτα. Num credere fas est, hunc Joannem, encyclicæ epistolæ Apostolica auctoritate scriptæ auctorem, virum fuisse

plane ignotum, quem olim vixisse incerto rumori esset credendum? Num simulatam fraudatoris artem apud eum reperire audes, qui severo mendacii improbitatisque odio flagrat? apud eum, inquam, qui celeberrimis ecclesiis publice scripsit, eas Servatoris nomine graviter objurgat?

Accuratissima denique scriptoris definitio ex Apoc. 1, 9 petitur. „Ego," inquit, „Joannes frater vester atque socius et calamitatis et regni et constantiæ Jesu Christi versabar in insula, quæ vocatur Patmus, propter verbum Dei et testimonium de Jesu Christo." Dicit se fratrem eorum, quibus scribit: quod Apostolis haud inusitatum (Rom. 1, 13. 1 Cor. 1, 10. al.), quia illud nomen omnibus christianis commune (Matth. 23, 8. Rom. 8, 29. 1 Cor. 5, 11. 1 Thess. 4, 9.). Quæ adduntur verba, licet in omnes Christi asseclas quadrent, hic non superflue sunt apposita, sed est eorum cum iis, quæ mox sequuntur, nexus arctissimus, totiusque libri argumento egregie congruunt. Vocabulo συγκοινωνός Apostoli cum ceteris christianis consortium indicatur. Est vero hoc consortium et calamitatis præsentis et regni futuri ideoque patientiæ atque constantiæ. Quo consortio conjuncti, Christi [1]) imaginem exhibent expressam; nam Christi quoque

[1]) Ἰησοῦ Χριςοῦ est Genitivus subjectivus, ad tria illa, quæ antecedunt, vocabula æque pertinens. cfr. Joh. 15, 20. Rom. 8, 17. 2 Cor. 1, 5. Gal. 6, 14. 17. Col. 1, 24. 2 Thess. 3, 5. 2 Tim. 2, 11. 12. Ebr. 5, 8. 12, 2. 3. 13, 13. 1 Petr. 4, 13. 5, 1.

erat, per passionem in gloriam intrare. Meum vobiscum consortium — hic est nexus sententiarum Apostoli — docet Patmus insula, in qua evangelii caussa relegatus versor. Patet vel ex hoc solo nexu, quam sit arbitraria eorum opinio, qui aut fictionis poeticæ (Eichhorn Einl. N. T. 2 B. 2 H. p. 122. Bleek in Schleiermachers, de Wette's und Lücke's Theol. Zeitschr. 2 H. p. 251) aut itineris sponte suscepti (Hartwig. Apolog. t. 2 p. 55. Lücke Elnl. p. 241.) vestigia hic reperire sibi videntur. Nihil est, quod apparatum poeticum sapiat: est simplex narratio historica (cfr. Hug Einl. 2t. Th. p. 576 sq. Ewald comm. ad h. l.). Quo minus autem de itinere sponte suscepto cogitemus et nexus impedit et similium Apocalypseos locorum ratio et ipsius illius sententiæ indoles haud probabilis. Ut enim ab hac incipiamus, Patmus insula est asperrima, desolata, ignobilis, saxum sterile; 18,000 passuum in circuitu emensa, oppidulo instructa, incolarum numerum habet perexiguum [1]). Apostoli autem fidei propagandæ gratia urbes frequentissimas petere solebant: Hierosolymam, Antiochiam, Ephesum, Athenas, Corinthum, Romam. Contra eadem Patmos insula exilio aptissima: in insulas enimeasque insalubres et desertas (Seriphon, Gyarum al.) ut gravioris culpæ rei relegarentur, mos erat Roma-

1) cfr. Plinius hist. nat. 4, 23. Strabo l. 10. c. 5. p. 488. Eustath. ad Dionys. Perieget. v. 530. Tournefort voyage d. Lavant. T. 1. p. 436. Bochart geogr. sacra lib. 1, 8. Büsching Erdbeschr. Th. 5. p. 151 sq.

norum (Philo adv. Flacc. p. 539 ed. Mang: Sueton. Tib. 53. Tacit. Annal. 2, 85. 3, 69. 4, 21. Dion. Cass. hist. Rom. 67, 14. Eus. h. e. 3, 18.). — Favet nostræ explicationi analogia locorum Apoc. 6, 9. 20, 4. et conditio, quæ describitur, ecclesiarum christianarum Apoc. 2, 10. 13. 3, 4. 5. — Quare quum Joannem Apostolum in Patmum relegatum fuisse traditio ecclesiastica fide dignissima certiores nos faciat, de alio autem qualicunque Joanne nihil ejusmodi narretur, dubium esse nequit, quis ille fuerit Joannes, cui Apocalypsis debeatur.

Profecto igitur insunt libro nostro manifesta documenta, ex quibus auctorem Joannis Apostoli nomen et auctoritatem sibi vindicare voluisse pateat [1]), ut vel iis solis Apostolica Apocalypseos authentia possit probata reddi. Quibus quum accedat constans ecclesiæ traditio eaque antiquissima, libri authentiam firmissime munitam esse jure nostro contendimus. Illius enim traditionis ratione habita, libro, ut Joanni Apostolo tribueretur, tot tamque perspicuis ejus vestigiis ne opus quidem fuisset: in relatione ecclesiæ acquiescendum foret, etiamsi universaliora tantum criteria, tempus dico, locum, quo liber scriptus videretur, et similia, ei consentirent.

Hæc nimirum criteria sola sunt, quæ pleno jure postulari possint: ea autem authentiæ Apostolicæ aptissime congruunt. Dissentiunt quidem

[1]) Concedente Lückio, cfr. Einleit. p. 355. 388. 400.

de tempore, quo sit scripta Apocalypsis: alii anno 64, alii anno 96, alii alio anno interjacenti eam literis consignatam existimant: at licet tantus sit dissensus, ævum Joannis Apostoli omnes statuunt [1]). Neque de loco, quo liber noster conscriptus sit, eandem ferunt sententiam: alii Patmum constituunt, alii regionem quandam in Asia minore haud certo definendam: nemo vero negavit, illo loco Joannem Apostolum versari potuisse. Lingua Apocalypseos, rerum exponendarum ratio quin ita sit comparata, ut, quæstione universaliter considerata (nulla aliorum scriptorum Joanneorum ratione habita), Joannes Apostolus librum nostrum scribere potuerit, dubitari nequit (cfr. Ewald comm. p. 35. Lücke Einl. p. 206).

Quibus disputatis evictum esse statuimus, auctoris criteria, hucusque examinata, non solum cum ecclesiæ traditione posse constare, sed eam quoque egregie confirmare, eamque indubitatam reddere: authentia libri nostri admissa, Apostolica ejus origo est agnoscenda.

§. 14.

Argumentationi a nobis expositæ critici, qui thesin oppositam defendunt, vestigia quædam originis libri nostri haud Apostolicæ, quæ in eo deprehendisse sibi videntur, objiciunt. Sed ea argu-

[1]) Contrariam opinionem, Lückio olim probatam (Comment. üb. d. Schrift. d. Joh. Th. 1. p. 126) plane erroneam esse, ostendere haud opus est: ipse eam retractavit.

mentorum nomine nequaquam esse ornanda, haud difficile erit demonstrare.

Provocant ad Apoc. 18, 20 et 21, 14: quæ loca breviter examinemus, licet eorum probandi vim non esse magni faciendam Lückius ipse fateatur (Einl. p. 389 sq.).

Loco Apoc. 18, 20 coelum et sancti et apostoli et prophetæ lætitia perfundi jubentur, quod Deus, justa poena repetita, eorum contra urbem profanam caussam egit. Apostoli, objiciunt, h. l. defuncti discribuntur: auctor ab iis se distinguit. At videas, quam sit infirma hæc ratiocinatio. Primum faciamus, de Apostolis defunctis hic sermonem esse: contextus haud dubie ostenderet, omnes Apostolos idcirco defunctos non dici: neque enim dicere potuit auctor, omnes et sanctos et prophetas esse mortuos, quod tamen ex illa ratiocinatione sequeretur. Potuit igitur Apostolus esse, licet de Apostolis defunctis hic loqueretur: quemadmodum nemo eum ἅγιον et προφήτην fuisse negaret, licet de sanctis prophetisque mortuis verba faceret. Deinde vero, Apostolos his verbis mortuos describi, omnino non liquet. Nihil impedit, quo minus statuamus, omnium omnino lætitiam pingi, quibus Dei judicia sint accepta, et in coelis et in terra. Præterea latior verbi ἀπόςολος usus h. l. admitti posset (ita Ewaldius comm. ad h. l. coll. 1 Cor. 12, 28.). Accedit, quod Apocalypsis eo videtur tempore scripta (cfr. §. 15.), quo omnes Apostolos mortuos esse parum recte statueretur. Prophetis denique Apo-

calypseos auctor se annumerat, quod dubitari nequit: eorum lætitiam celebrat. Quidni Apostolus esse potest, qui Apostolorum lætitiam commemorat?

Loco Apocalypseos 21, 14. duodecim urbis sanctæ fundamenta duodecim Apostolorum nominibus inscripta dicuntur. Ewaldius quidem (comm. p. 76. 77. 313) postulat, ut „quisque, qui non ab omni congrui et pulchri sensu sit alienus" concedat, hæc verba Apostolicæ modestiæ non convenire (approbante Paulo Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 470): at jam Lückius nihil immodesti huic loco inesse observavit. Constat quoque, Apostolis usitatam esse ecclesiæ cum ædificio (templo, urbe) comparationem, cujus fundamentum modo Christus (1 Cor. 3, 11), modo Apostoli (Ephes. 2, 20), cujus lapides, cives, incolæ singuli Christiani (Eph. 2, 19 sqq. 1 Tim. 3, 15. 1 Petr. 2, 4 sqq.) sint. Sponte igitur hæc se obtulit imago: neque nos offendere debet, quod Apostolus Apostolici muneris præstantiam celebrat (coll. Luc. 10, 23. 1 Cor. 11, 1. 12, 28. 15, 10. Gal. 1, 1. 2, 6 sqq. Ephes. 2, 20. 3, 5. 4, 11. 1 Thess. 1, 6. 4, 8. 1 Petr. 5, 1.). Quod autem Lückius conjicit, numero duodecenario Paulum dignitate Apostolica excludi, — id quod Joannis non esse videretur —, male profecto abutitur symbolo pulcherrimo, imaginem ad ungvem resecans. Numero enim indicato non anxie inhærendum esse, si non poetica Apocalypseos indoles, locus certe 1 Cor. 15, 5 demonstrare potest. Et unde, quæso, pateret, Paulum esse excludendum, si ipsum numerum

duodenarium teneamus? Putares, ipsos tantum Christi discipulos a Domino Apostolos constitutos hic indicari? Judam Ischariotem ecclesiæ fundamentis vix annumeravit auctor, quisquis fuerit. Ostendit præterea tribuum Judaicarum recensio (Apoc. c. 7.), fieri potuisse, ut in Apostolis quoque enumerandis vulgarem consuetudinem relinqueret Apocalypsis. Parum sibi constat Lückius, qui hic contendat, facilius cogitari posse, ab alio quodam homine, Apostolis non adscripto, Paulum, illi non probe cognitum, vulgaris numeri gratia esse omissum. Nam ipsius Lückii de origine Apocalypseos conjectura (p. 394) Paulinæ doctrinæ typum in Apocalypsi fundamento positam statuit: quomodo ergo, qui eam scripsit, Paulum ignorare potuit?

§. 15.

Joannis Apostoli in Apocalypsi vestigia monstrantes, ad historiam ejus traditione servatam provocavimus. Quare consultissimum nobis videtur eam, quatenus ad disquisitionem nostram pertinet, paucis hic attingere [1]).

Joannem Apostolum in Asia minore, Ephesi imprimis, diu esse versatum, supra diximus. Quo tempore eo pervenerit, accurate constitui non potest. Anno fere sexagesimo Hierosolymis eum non amplius fuisse, ex Actis Apost. 21, 18 sequi

[1]) cfr. Lampe comment. in evang. Joan. prolegom. lib. 1. Wegscheider Vers. ein. vollst. Einl. in d. Evang. Joh. p. 77 sqq.

videtur: nihil impedit, quo minus eum paulo post illam regionem adiisse putemus (Phot. cod. 254. coll. quoque Euseb. 3, 5. Aretha in opp. Oecum ed. Paris. 1630. p. 713 et Chronic. Pasch. Olymp. 212. an. 1.). Vitæ Ephesinæ memoriam Apollonius et Irenæus (Euseb. 5, 18. 4, 14) servant: vicinis Asiæ minoris ecclesiis Apostolum simul consuluisse, Clemens Alexandrinus et Origenes diserte referunt (Eus. 3, 23. 3, 1. 3, 39). Ephesi eum mortuum sepultumque esse tradit Polycrates Ephesinus (Eus. 3, 31. 5, 24. coll. 3, 1. 3, 39): obiisse fertur Trajano imperatore (Eus. 3, 23. Iren. contr. hær. 3, 3. 4.). Ephesi evangelium scripsisse dicitur (Iren. 3, 1. §. 1. Euseb. 5, 8. coll. Hieron. Prooem. in ev. Matth.). In hac regione Joannem diu vixisse, documento sunt discipuli ejus: Polycarpus, (Iren. 3, 3. §. 4. et ap. Eus. 5, 20. 24. Tertull. d. præscr. hær. 32.), Papias (Iren. 5, 53. §. 4. Euseb. chronic. Olymp. 219. Hieron. ep. 29 ad Theodor. cat. 18.) et Ignatius (Chron. Pasch. Olymp. 202. ann. 4. cfr. Fabric. cod. apocr. N. T. p. 818).

Provocavimus quoque ad Patmicum Joannis Apostoli exilium, traditione fide dignissima [1]) nobis relatum. Testes sunt, ut alios omittam, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Sulpitius Severus, Epiphanius, Hieronymus. Cujus rei accuratiorem expositionem mox afferemus.

[1]) Sunt, qui ex Apoc. 1, 9 eam male ortam temere conjiciant (Lücke Einl. p. 409): at vide Berthold Einl. 4 Th. §. 453. Schott Isag. §. 114. n. 1. §. 36 n. 10.

Quanto temporis spatio sejuncta sint Apocalypsis et Evangelium Joanneum, quæstio et a nobis haud prætereunda. Evangelium epistolasque a Joanne sene (ὁ πρεσβύτερος 2 & 3 ep.) esse conscriptas internis rationibus admodum probabile redditur (Hug Einl. Th. 2. p. 191 sqq. Guerike Beitr. p. 56 sq. Lücke Einl. p. 381. coll. Lücke Comm. üb. d. Schrift d. Joh. Th. 1. p. 130. Th. 3. p. 21. Schott Isag. p. 152), externis testimoniis multum confirmatur (Iren. hær. 3, 1. §. 1. apud Eus. 5, 8. Clem. Alex. ap. Eus. 6, 14. Euseb. 3, 24. Hieron. cat. 9. Prooem. in ev. Matth. Epiphan. hær. 51. 12 &19. Chron. Pasch. Olymp. 212. ann. 1. al.)

Quare non multum a vero aberrare nos putamus, si (cum Epiphanio) evangelium a Joanne ex Patmo reduce, quum diu in Asia esset versatus, nonagesimo fere ætatis anno conscriptum statuamus. Annum ætatis centesimum et quod excurrit Apostolum attigisse, ex traditione ecclesiastica certo constitui posse videtur (Iren. 2, 22. §. 5. 3, 3. §. 4. Eus. 3, 23. Hieron. in Jovin. 1, 26. Epiph. hær. 51, 33. Chron. Pasch. Olymp. 220. ann. 4. opp. Chrysost. ed. Montfauc. t. 8. spur. p. 131. Abdiæ hist. certam. Apost. 5, 22).

Alio autem tempore scripta est Apocalypsis, si quid videmus. Si, ut de exilio, ita quoque de exilii tempore constans esset atque firma traditio, ex ea illius definiendi initium faceremus. Quæ autem quum desit, internis rationibus primum locum concedimus.

Apocalypsi nulla inesse vestigia exegetica, quæ tempori definiendo inservire possint, Guerike nuperrime contendit: at, ut Lüke jam monstravit (Einl. p. 257 sqq.), re parum accurate examinata. Obstat quoque illi sententiæ interpretum, in tempore computando exegeticas rationes sequentium, consensus haud exiguus. (Newton, Hartwig, Herder, Lange, Berthold, Köhler, Ewald, Lücke, Paulus al., Storrio, Eichornio, Vogelio et Bleekio haud multum dissentientibus).

Ne incertæ forsan interpretationis subsidio uti videamnr, nostram temporis conputandi rationem loco tantum quam maxime perspicuo fundamento superstruere in animo est, capite nimirum undecimo. In eo Hierosolymæ ruinam diserte prædici (v. 1. 2. 8. 13), manifestum est. Scripta igitur est hæc prophetia ante Hierosolymam perditam, viginti fere annis ante Evangelium. Tempus, quo Apocalypsis sit scripta, quin aliis indiciis adhibitis accuratius possit constitui, non dubitamus. Non multis ante Hierosolymæ excidium annis eam esse consignatam, vexationes forsan indigitant, Judæorum odio Christianis inflictæ (2, 9. 3, 9). Apostolum Neronis persequutionem (decimo ejus anno, post Romæ incendium) respicere, ex locis 13, 7. 16, 6. 17, 6. 18, 20. 24. 19, 2. 20, 4 coll. 6, 9. 10. 7, 14. recte conjici nobis videtur. Belli Judaici jam incepti vestigia si in Apocalypsi statui possent, eam post annum 66 (Tacit. hist. 5, 10) scriptam ostenderent. Quibus ponderatis, haud spernenda videtur via, ad

tempus accurate constituendum aptissima, quam locus Apoc. 17, 10. 11. coll. 13, 3. 17, 16. 17. 16, 12—21 de imqeratoribus Romanis intellectus nobis sternit, (Bleek in Schleiermachers theol. Zeitschr. 2 B. p. 286. 1 B. p. 243 sqq. Ewald comm. §. 7. Lücke Einl. p. 245 sqq. p. 417); si enim tenemus, Neronem his verbis typum Antichristi delineari, eumque hoc sensu rediturum dici (cfr. Mth. 17, 11 sq. Chrysostom. ad 2 Thess. 2, 7.), si præterea nihil impedire concedimus, quo minus rationes chronologicas sermone prophetico sublatas dicamus, (cfr. Olshausen biblisch. Comment. 1 Th. p. 859 sqq.) illa interpretatio quin cum auctoritate Apostolica constare possit, non est dubitandum. — Argumentum chronologicum, quod ex Apoc. 3, 14 sqq. cum Tacit. Ann. 14, 27 comparata peti possit, non est magni momenti (Lücke Einl. p. 418. Paulus Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 4 H. p. 331).

His rationibus ducti, Lückium sequimur, qui Apocalypsin anno 68, Galba Imperatore, scriptam putat. Quod si recte statuitur, exilium Joannis Patmicum ad imperium Neronis — nam is omnium primus imperatorum Christianos persequutus est — referendum esse, quisque videt. Qui igitur Petrum et Paulum supplicio, idem Joannem exilio damnavit (cfr. Tertull. de præscr. hær. c. 36. Eus. demonstr, ev. 3, 5), anno fere 67. Quousque in Patmo versatus sit, definire vix potest, si Apocalypsin in exilio scriptam esse existimemus (Hieronym. cat. 9. Bengel Gnomon ad Apoc. 1, 9. Bertholdt Einl. Th.

4. §. 453. al.). Quæ autem si post exilium scripta habetur (Victorin. de Petabio Max. bibl. vet. Patr. Lugd. T. 3. p. 419. Arethas in opp. Oecumenii p. 713. Ewaldius comm. ad. 1, 9. Lücke Einl. p. 143), Neronis imperio finito, Joannes exilio liberatus est.

Conjectura hic adumbrata iis, quæ ex historia Apostoli supra attulimus, egregie convenit; temporis indiciis, quæ libro Apocalypseos insunt, superstructa, firmari nobis videtur comparatione scriptorum Joanneorum instituta; sed disertis traditionis testimoniis evinci nequit. Quam quidem difficultatem minoris momenti esse judicamus, quum partim nulla sit constans in hac re ecclesiæ traditio, partim ipsis illis, quæ nobis servatæ sunt, relationibus ea insint, quibus hypothesin nostram tueri possimus. Sequentia id ostendent.

Joannem Apostolum a Domitiano imperatore Patmum relegatum esse, Eusebii imprimis nititur relatione (h. e. 3, 18. 20. 23. Chron. ann. Domit. 14). Ipsi autem de hoc tempore ex certa traditione constitisse, dubitari potest; sequitur verba Irenæi (h. e. 5, 18. Iren. hær. 5, 30. 3.), quæ licet illam imprimis tueri videantur sententiam, dubiæ interpretationis dici posse videntur. Wetstenius (N. Test. t. 2. p. 746) et Paulus (Heidelberg. Jahrb. 26. 5 H. p. 447) — ut aliorum explicationes taceam — Irenæi verba de Joanne, qui apocalypsin vidit, haud inepte intelligere videntur: antiqua Irenæi versio latina (ἑωράθη„ visum est") Eusebii interpretationi non favet. Quæ narrationi de

exilio Joannis addit 3, 18. coll. 3, 17. coll. Euseb. chronic. Olymp. 215. 217. 218., sententiæ confirmandæ gratia addidisse videri possit Eusebius: eum sub Nerva revocatum ex conjectura (confr. 3, 20) statuisse (chronic. Olymp. 219). Accedit, quod Hegesippi et Tertulliani verba, quæ allegat (3, 20), cum narratione Eusebii non plane consentire videntur, quod præterea temporis indicia invenit, ubi nulla sunt (3, 23 in narratione Clementis).

Ut autem hypothesin sequeretur, eo facilius adduci potuisse Eusebius videtur, quod antiquorum scriptorum nullus Imperatorem hujus exilii auctorem, diserte nominavit, neque Tertullianus (de præscr. hær. 36.) neque Clemens Alexandrinus (Eus. h. e. 3, 23. ὁ τύραννος) neque Origenes (comm. in Matth. ed. de la Rue T. 3. p. 720. ὁ ῥωμαίων βασιλεύς). Huic autem rei nostræ hypotheseos præsidium inesse videtur: si enim a Nerone relegatus fuerit Joannes, ab eodem, qui Petrum et Paulum interfici, qui Christianos crudelissime vexari jussit, facile explicatur, cur tyrannum expresse nominare non necessarium judicaverit traditio. Sic quoque cum traditione Hegesippi et Tertulliani (Eus. 3, 20. Tert. Apol. adv. gentes c. 5) melius constare videtur, quod, mortuo demum imperatore (Eus. 3, 23), Joannes revocatus est. Egregie favent nobis verba Tertulliani (de præscr. hær. 36): „Felix ecclesia (sc. Romana), cui totam doctrinam apostolicam sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominico adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu co-

ronatur, ubi apostolus Joannes, postea quam in oleum igneum demersus, nihil passus, in insulam relegatur." Non solum Joannis cum Petro et Paulo conjuntio, sed poenæ quoque genus, hic commemoratum, Neronem exilii auctorem nobis describit. Id quoque sensit Hieronymus, qui, licet ipse Eusebii traditionem sequatur, adversus Jovinianum 1, 26 ita scribit: „Refert autem Tertullianus, quod a Nerone missus in ferventis olei dolium" etc. Nostram temporis computandi rationem antiquiori ecclesiæ probatam fuisse, ex Andrea colligere licet, quum (ed. Sylb. p. 28 sq.) eos impugnet, qui sextum sigillum (Apoc. 6, 12 sqq.) de Hierosolymis sub Vespasiano perdendis locumque Apocal. 7, 1 sq. de calamitate Judæis per Romanos infligenda explicent: ex Aretha, qui licet alio loco aliam traditionem sequi videatur (p. 654 ed. opp. Oecum.), Apocal. 7, 1—8 ante bellum Judaicum Ephesi scriptum contendat (p. 713): denique ex inscriptione versionis Syriacæ (edid. Ludv. de Dieu. Lugd. Bat. 1627), quæ Joannem Apostolum a Nerone Cæsare relegatum diserte refert (cfr. Bibl. Coisl. ed. Montfauc. t. 2. p. 277).

Epiphanius (hær. 51, 12 & 33) Apostolum nostrum Claudio imperatore relegatum et revocatum dicit: quod licet eum parum recte statuisse arbitremur, patet, eum quoque Apocalypsin ante Hierosolymæ excidium scriptam existimasse, nullamque in tempore exilii constituendo serioris traditionis fuisse constantiam.

Quibus expositis, argumentis haud spernendis demonstrasse nobis videmur, annorum fere viginti spatium inter Apocalypsin et Evangelium epistolasque ab Joanne Apostolo scriptas juste statui interjectum.

Sectio secunda.

De auctore Apocalypseos ex comparatione cum reliquis scriptis Joanneis constituendo.

---

§. 16.

Disquisitione huc usque perducta ostendimus, et historicam ecclesiæ traditionem, antiquitate pariter ac constantia commendatam, et ipsius libri per se spectati indicia unum eundemque flagitare Apocalypseos autorem, Joannem nimirum Domini Apostolum. Cui sententiæ a nobis vindicatæ adversari patet ea, quæ ex comparatione inter Apocalypsin et reliqua scripta Joannea instituta contra illius authentiam Apostolicam disputarunt Ewaldius (comm. §. 9.) et Lückius (Einl. §. 39. 40. 41). Restat igitur, ut argumentationes ab iis propositas accurate examinemus, comparatione juste instituta authentiam tucamur. Scimus quidem, ab aliis [1]) quoque similem crisin esse in medium prolatam; quo-

[1]) Abauzit, Oeder, Semler, Stroth, Merkel, Corrodi, Bretschneider, de Wette, Schott al.

rum autem objectiones quum partim jam aliorum [1]) opera refutatas, partim ab Ewaldio et Lückio accuratius repetitas, diligentius excultas videamus, iis recensendis haud opus esse quisque concedet.

Observatiunculis duabus paragrapho 38 præmissis crisi suæ viam munire voluit Lückius. Primum auctoritatem Lutheri Apocalypseos authentiam impugnantis præ se fert. At, ut taceam inconstantiam criseos Lutheri, auctoritatis advocatio, ubi quæstio jam versatur, nullius est momenti: nostræ sententiæ summorum virorum auctoritatem minime deesse, non est, quod repetamus. Deinde eam, si qua videri possit, discriminis speciem affert, quod Joannes Evangelista nomen reticet, non ita Apocalypseos auctor. Nullam huic objectioni vim inesse, ipse Lückius fatetur, eamque Eichhornii argumentis plane refutat. Accedit quoque, — ut Veteris Testamenti analogiam quandam omittam — quod rationes chronologicæ, a nobis jam expositæ, huic discrimini explicando inservire possunt: primum enim librum a se editum nomine suo insignire necessarium putavit Apostolus. Lückius quærit, quidni — ut in secunda et tertia epistola — se τὸν πρεσβύτερον nominaverit Joannes: cui quæstioni rationes jam indicatæ respondeant.

[1]) Hartwigii et Storrii Apologiæ. D. Curtius specim. hermen. theol. de Apocal. Eichhorn Einl. in d. N. T. 2. B. 2 H. p. 435. J. D. Schulze d. schriftst. Charakt. d. Joh. Hemsen d. Authent. d. Schrift. d. Joh. p. 340 sqq. Herder Maran Atha. Bertholdt Einl. 4ter Th. §. 451.

Discrimen, quod in scriptis Joanneis invicem comparatis et lingua et rerum tractandarum ratione et ideis ipsis conspicuum esse dicitur, per singula eundo exploraturi, observationes quasdam præmittimus, in hac disquisitione haud negligendas.

§. 17.

Apocalypsin discrimine haud exiguo ab Evangelio epistolisque Joanneis differre, nulli negamus; immo id necessitate quadam factum esse contendimus. Ex ipsius nimirum rei natura id sequi, paucis ostendemus.

Apocalypsis est liber propheticus, ideoque nativa sua indole poeticus. Non versatur in notionibus accurate definiendis, examinandis, defendendis, refutandis: non utitur solita narrandi, adhortandi, castigandi ratione: sermo non refert meditationem sedulo institutam neque vulgarem dicendi consuetudinem, At phantasiæ vires vigent et excitantur: imagines quæruntur et proponuntur: omnia vivide depinguntur, sermo ad sensus excitandos imprimis convertitur. Si igitur Joannes Apostolus diverso argumento diversum sermonem non adaptasset, non tam scriptoris sibi constantis virtus, quam ingenii argumentis variis exponendis idonei inopia appareret. At ne quis putet, divinam Apocalypseos indolem eo imminui, quod poeseos genus in ea agnoscimus, vividæ sensuum profundorum adumbrationi aptissimum. Non, inquam, imminuitur divina revelatio, at augetur poeseos dignitas, sacro usui

traditæ. Sic neque divinæ legi detrahitur, si eam conscientia expressam credimus.

Accedit, quod hæc prophetia christiana conscripta est, antiquæ prophetiæ ubivis ratione habita. Rarior est Veteris Testamenti usus in Evangelio Joanneo, nullus in epistolis: ibi igitur omnia suo modo dicit. Non ita in Apocalypsi; frequentissimus hic est veterum prophetarum usus. Videmus, Apostolos in doctrina tradenda, in persuasione religiosa describenda, in sensibus piis depingendis, in exemplis virtutum et vitiorum eligendis, sacris Judæorum libris sæpissime usos esse: quid mirum, prophetam quoque christianum eorum ore loqui, qui eodem spiritu sunt gavisi? At subest quoque alia ratio, ex veterum prophetarum more petenda. Internum, quo conjungebantur, vinculum eo quoque apparebat, quod majorum exempla respiciebant ii, qui post vivebant: Mosis prophetiam referebant vates, alius propheta alium: sic factum est, ut magna in quibusdam rebus appareret imaginum constantia, veluti in coelo, in theophaniis describendis, ut prophetæ verba denuo repeterentur, applicarentur, exponerentur (cfr. Credner d. Proph. Joel. p. 52 ff. Hengstenberg d. Authent. d. Daniel u. d. Integrit. d. Sacharjah. p. 34. p. 367 sqq.). Quare Joannes Apostolus quum prophetiæ filum diu interruptum resumeret, nexum, qui sibi cum ea intercessit, antiquo sermone prophetico in usum suum convertendo luculenter ostendit, majorum morem sequutus. At non solum repetiit, quæ Spiritu sancto afflati edi-

xerant Hebræorum coryphæi, verum perfectiore rerum divinarum intelligentia imbutus ea uberius explicavit, novaque junctura splendidora restituit (Herders sämtl. Werke z. Relig. u. Theol. 7 Th. p. 204. 440. 491 sqq.). Ne igitur Apocalypsin figmentum existimes fragmentis undequaque corrasis compositum, Judaicas illius temporis opiniones nobis exhibens (ut Ewaldio visum est: comm. p. 17. 33. 82. p. 188. not.): est prophetia vitæ imago, quæ nutrimentis aliunde sumtis formam sustentat.

Diversitatis in scriptis Joanneis conspicuæ caussis jam allatis aliam addere possumus, ex rationibus chronologicis deductam. Tempore nimirum locoque mutato stylum scriptoris mutari, nemo negat [1]). Si Apocalypsis, — quod evincere conati sumus et quod concedi posse omnes admittere oportet — viginti fere annis ante Evangelium scripta est, si illius auctor Palæstinæ fines non multo ante reliquit, hujus autem inter homines græce loquentes diu vixit, iis edocendis, adhortandis occupatus: aliudne exspectamus, quam linguam Apocalypseos ingenium hebraicum multo magis referre, sermonem hujus libri græcum neque elegantem esse neque purum, vestigia versionis septuagintaviralis frequentissime adhibitæ ubivis apparere? Nonne iidem exspectamus, Evangelii epistolarumque ser-

[1]) Temporis diversitatem in libris sacris vindicandis non esse negligendam, Veteris quoque Testamenti crisis docet. cfr. J. U. Möller de authent. orac. Esai. c. 40—60. c. 4. §. 10. Hengstenberg l. l. p. 385.

monem græcitatis esse melioris, majorem verborum copiam, accuratiorem linguæ cognitionem ex iis elucere? Ejusdem rei exemplum epistolæ Paulinæ, quæ pastorales dicuntur, nobis offerunt (cfr. Schott Isag. §. 77). Et quid, quæso, verisimilius, quam Joannis linguæ græcæ peritiam per annorum decursum non eandem mansisse: quo jure ergo miramur, ea, quæ scripserit, hujus varietatis referre imaginem? Neque sola dicendi facultas, sed fidei quoque christianæ intelligentia in Apostolo sensim est adaucta; ideas enim christianas, profundæ sapientiæ thesauros (Col. 2, 3), Spiritus divini ope Apostolis indies plenius perspectas, copiosius excultas, accuratius explicatas esse, non tam conjicere licet, quam credere nos oportet.

Quæ qui consideraverit, Apocalypsin a reliquis scriptis Joanneis necessario quodam discrimine differre, exspectandum esse haud dubie dicet. Fuisset igitur criseos internæ, ingenium Joannis Apostoli scriptis ejus conspicuum delineaturæ, libros ecclesiasticæ traditionis testimonio uni eidemque auctori vindicatas eo consilio diligentissime examinare, ut, communi auctore posito, indoles scriptoris varia diversoque argumento adaptata appareret, unitas per differentiam non sublata sed cum ea juncta eaque perfecta. Aliam autem viam crisis, quæ authentiam libri nostri impugnat, sibi elegit: Apocalypsin seorsim spectavit, reliqua Joannis scripta eodem modo: ita discrimen criticos non latuit, at hoc discrimen ex eodem auctore progredi posse,

non intellexerunt; nam quod extrinsecus iis afferebatur, varietate adeo erat distinctum, contrariisque vitæ elementis adeo ornatum, ut huic individualitatis copiæ comprehendendæ pares non essent. Unitatis cujusdam inopis arbitarie fictæ vindices realitatem objectivam, quæ præconceptæ ipsorum sententiæ parum congrueret, veram agnoscere non potuerunt. Quam infirmo fundamento crisis eorum sit superstructa, ex eo quoque patet, quod nulla lege universali posita caverunt, ne ad incertas temereque susceptas opiniones argumentatio ipsorum aberraret. Quænam enim discriminis indoles, quantaque scriptorum monstranda esset diversitas, ut ea non unius auctoris esse statuere cogeremur, id neque Ewaldius neque Lückius, licet solis rationibus internis quæstionem dirimere sibi sumant, verbo indicavit. Hunc lapidem Lydium quum nobis exhibere neglexerint, quantum singulis argumentis ab iis prolatis concedendum sit explorabimus: modo sententiam a nobis in hac §. jam allatam uberiore expositione confirmaverimus.

§. 18.

Diximus, usum Veteris Testamenti secundum versionem LXX interpretum frequentissime allegati ad colorem linguæ Apocalypseos multum contulisse. Nobis autem id asserentibns jam occurrit objectio, qna simul ostendere volunt, Apocalypseos auctorem non esse Joannem Apostolum. Præeunte enim quodam modo Vogelio, Ewaldius (comm. p. 37) con-

tendit, „auctorem Apocalypseos contra omnium N. T. scriptorum morem nunquam versionis LXX subsidio uti." At omnino reprobanda est hæc viri doctissimi opinio; ipse in ea tuenda sibi haud constat (cfr. p. 75. n. 2. p. 124. Addenda et Corrigenda) et Lückius eam jam paucis refutavit (Einl. p. 209). Qui vero quum loca ab Ewaldio argumenti instar allata haud examinaverit, eandem rem retractare in animo est, quo simul evincamus, et Joannem Apostolum in Vet. Test. laudando eundem morem semper servasse, et versionis LXX usum ad linguam libri nostri formandam maximi fuisse momenti.

Omnes Novi Test. scriptores sequuntur versionem LXX, idque sæpissime verbotenus. Attamen nullus fere est, quin eam interdum relinquat, sive quia verba laudanda memoria non accurate tenuit, sive quia verbis paululum mutatis sententiam suam melius describere potuit. Interdum verba textus hebraici aptius reddunt, quam versio ab iis spreta, ut ille quoque ipsis cognitus fuisse videatur (cfr. Matth. 13, 35. Rom. 10, 6. 1 Cor. 1, 31. 3, 20. 15, 54. 2 Cor. 6, 16. Eph. 4, 8. Ebr. 10, 30. Rom. 12, 19. 1 Petr. 1, 16. 2, 6. 4, 8. Jacob. 5, 20 al.). Idem valet de Joanne Evangelista (cfr. Schulze d. schriftst. Charakt. d. Joh. p. 194 sqq.), qui nunc leviter alludit ad verba Veteris Test. (9, 39), nunc versionem LXX presse sequi dicendus est (1, 23. 2, 17. 10, 35. 12, 13. 38. 19, 24. 36.), licet singula verba non anxie retinuerit,

(6, 45. 12, 15, 15, 25.), nunc sententiam refert (7, 38. 42), non ex uno loco petitam (6, 31), suo modo expressam (8, 17. 13, 18), nunc, relicta versione LXX, textum hebraicum fidelius servat (12, 40 et imprimis 19, 37, de quo infra).

Quem autem in Evangelio sequitur morem Joännes, eundem quoque in Apocalypsi. Frequentissimus est Veteris Testamenti usus: tam integra commata, quam verba et imagines ex eo repetit, suoque modo adhibet (cfr. Schulze l. l. p. 257 sqq.). Locorum probantium recensui præmittimus Apoc. 1, 7: „ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν· καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Desumta sunt hæc verba ex Zach. 12, 10, at non secundum LXX, qui vertunt: ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, recepta forsan alia lectione (רקדו coll. Es. 13, 21. Eccles. 3, 4. 1 Chron. 15, 29. Hiob. 21, 11. LXX.). Patet, verba LXX neque textum reddere neque id servare, quod in prophetæ verbis Joanni est maximi momenti: quare reliquit versionem alias semper adhibitam, textumque genuinum restituit. Eandem vero, quam hic exhibet, interpretationem eodem plane sensu repetit in evangelio 19, 37: ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Quis non intelligit, quantum authentiæ documentum huic rei insit? Evangelista et Apocalypseos auctor alias semper retinent verba LXX interpretum: in hoc uno eodemque loco eos relinquunt, ipsi verba reddunt, plenus adest ipsorum consensus. Ewaldius et Lückius id conjec-

tura explicare student, textum versionis LXX corruptum opinantur: at nihil nisi sententiæ præconceptæ studium ad hoc manifestum authentiæ documentum eliminandum eos cogit. — Frequentissimum versionis LXX in Apocalypsi usum sequentia ostendent.

Apoc. 1, 14. ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λεῦκαι ὡς ἔριον λευκὸν, ὡς χιών· καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός. Dan. 7, 9. LXX: — λευκὸν ὡςεὶ χιὼν καὶ ἡ θρὶξ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ὡςεὶ ἔρίον καθαρὸν, ὁ θρόνος αὐτοῦ φλὸξ πυρός. coll. Dan. 7, 13. 10, 6. Ezech. 1, 26.

Apoc. 2, 27. (et 12, 5. 19, 15) secundum Ps. 2, 9. LXX: ποιμανεῖ (LXX ποιμανεῖς; at textus hebr. תרעם) αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, ὡς τὰ σκεύη τὰ κεραμικὰ συντριβήσεται s. συντρίβεται (LXX accutius: ὡς σκεῦος κεραμέως συντρίψεις αὐτούς).

Apoc. 3, 7. ὁ ἔχων τὴν κλεῖν (κλεῖδα) τοῦ Δαυΐδ· ὁ ἀνοίγων καὶ οὐδεὶς κλείει· καὶ κλείει καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει. Esai. 22, 22: καὶ δώσω αὐτῷ τὴν κλεῖδα οἴκου Δαυΐδ ἐπὶ τῷ ὤμῳ αὐτοῦ· καὶ ἀνοίξει καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀποκλείων· καὶ κλείσει καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἀνοίγων.

Apoc. 3, 19. coll. Prov. 3, 12. Apoc. 5, 5. et 22, 16. coll. Es. 11, 10.

Apoc. 5, 6. ὀφθαλμοὺς ἑπτὰ — τὰ ἀπεσταλμένα εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. Zach. 4, 10: ἑπτὰ οὗτοι ὀφθαλμοί εἰσιν οἱ ἐπιβλέποντες ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.

Apoc. 5, 8. Ps. 141, 2. Apoc. 6, 1 sqq. Zach. 1, 8. 6, 1 sqq.

Apoc. 6, 8: ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς. **Ezech. 14, 21:** ῥομφαίαν καὶ λιμὸν καὶ θηρία πονηρὰ καὶ θάνατον.

Apoc. 6, 13. 14. (ex hoc loco contra usum LXX argumentatur Ewaldius) secundum Es. 34, 4, parum quidem accurate: at textus hebraici usus nullus apparet. Apoc.: καὶ οἱ ἀςέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσαν εἰς τὴν γῆν. **LXX.** καὶ πάντα τὰ ἄςρα πεσεῖται. **Text:** וכל־צבאם יבול. **Apoc.** ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπο ἀνέμου μεγάλου σειομένη. **LXX.** ὡς πίπτει φύλλα ἀπό συκῆς. **Text:** כנבלת מתאנה. **Patet, imaginem ab Apostolo esse exornatam, adhibito forsan Nah. 3, 12:** συκαὶ σκοποὺς **(text.** בכור, πρωτογεννήμα) ἔχουσαι, ἐὰν σαλευθῶσι, πεσοῦνται· **vocabulum** ὄλυνθος **reddit hebraicum** פג **Cant. 2, 13. Apoc.** ὁ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον **ex LXX:** καὶ ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον, **quibus verbis textus hebraicus accurate redditur.**

Apoc. 7, 16. οὐ πεινάσουσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι, οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος, οὐδὲ πᾶν καῦμα· ὅτι τὸ ἀρνίον — ποιμανεῖ αὐτοὺς καὶ ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ ζωῆς πηγὰς ὑδάτων· καὶ ἐξαλείψει ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν **(Apoc. 21, 4). Esai. 49, 10:** οὐ πεινάσουσιν οὐδὲ διψήσουσιν οὐδὲ πατάξει αὐτοὺς ὁ καύσων οὐδὲ ὁ ἥλιος, ἀλλ' ὁ ἐλεῶν αὐτοὺς παρακαλέσει καὶ διὰ πηγῶν ὑδάτων ἄξει αὐτούς. **Ps. 23, 1. 2.** κύριος ποιμαίνει μὲ — ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως ἐξέθρεψέ με. **Es. 25, 8.**

ἀφεῖλε κύριος ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προςώπου.

Apoc. 9, 7. 8. Joel. 2, 4. 5. 1, 6. Apoc. 9, 14. Deuter. 1, 7. al.

Apoc. 10, 6. ἦρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ τὴν δεξιὰν εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. **Dan. 12, 7.** ὕψωσε τὴν δεξιὰν αὐτοῦ καὶ τὴν ἀριςερὰν αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι εἰς τὸν αἰῶνα.

Apoc. 10, 8. 9. Ezech. 2, 8. 9. 3, 1 sqq. Apoc. 11, 2. Dan. 8, 13. 12, 11.

Apoc. 11, 4. οὗτοι εἰσιν αἱ δύο ἐλᾶιαι καὶ αἱ δύο λυχνίαι αἱ ἐνώπιον τοῦ κυρίου τῆς γῆς ἑςῶτες. **Zach. 4, 2.** ἰδοὺ λυχνία .... **v. 3.** καὶ δύο ἐλᾶιαι. **v. 14.** οὗτοι οἱ δύο υἱοὶ τῆς πιότητος παρεστήκασι κυρίῳ πάσης τῆς γῆς.

Apoc. 11, 9. (coll. 7, 9. 10, 11) ἐκ τῶν λαῶν καὶ φυλῶν καὶ γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν. **Dan 3, 7 (3, 4. 31. 6, 25.)** πάντες οἱ λαοὶ, φυλαὶ, γλῶσσαι.

Apoc. 11, 15. τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ τοῦ Χριςοῦ αὐτοῦ **Ps. 2, 2.** κατὰ τοῦ κυρίου καὶ κατὰ τοῦ Χριςοῦ αὐτοῦ.

Apoc. 11, 19. 1 Sam. 4, 4.

Apoc. 12, 14. καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ. **(Plur. pr. Dual.)**

Apoc. 13, 1. 2. εἶδον ἐκ τῆς θαλάσσης θηρίον ἀναβᾶινον, ἔχον κέρατα δέκα καὶ κεφαλὰς ἑπτά... καὶ τὸ θηρίον ἦν ὅμοιον παρδάλει καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὡς ἄρκου καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ ὡς ςόμα λέοντος. καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ δράκων τὴν δύναμιν αὐτοῦ....

καὶ ἐξουσίαν μεγάλην. Dan. 7, 3 sqq. τέσσαρα θηρία μεγάλα ἀνέβαινον ἐκ τῆς θαλλάσσης — τὸ πρῶτον ὡσεὶ λέαινα — θηρίον δεύτερον ὅμοιον ἄρκῳ — καὶ ἰδοὺ θηρίον ἕτερον ὡσει πάρδαλις — καὶ τέσσαρες κεφαλαὶ τῷ θηρίῳ καὶ ἐξουσία ἐδόθη αὐτῇ — θηρίον τέταρτον — καὶ κέρατα δέκα αὐτῷ — στόμα λαλοῦν μεγάλα. (Apoc. 13, 5).

Apoc. 14, 10. καὶ αὐτὸς πίεται ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ, τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ. Ps. 76, 8: ὅτι ποτήριον ἐν χειρὶ κυρίου, οἴνου ἀκράτου πλῆρες κεράσματος — πίονται πάντες οἱ ἁμαρτωλοὶ τῆς γῆς.

Apoc. 14, 20. Esai. 63, 2.

Apoc. 15, 4: πάντα τὰ ἔθνη ἥξουσι καὶ προςκυνήσουσιν ἐνώπιόν σου. Ps. 86, 9 eadem plane verba.

Apoc. 15, 5. Exod. 40, 2 al. Apoc. 15, 8. Exod. 40, 34. 35. Apoc. 16, 2. Deuter. 28, 35. Apoc. 16, 18. Dan. 12, 1.

Quæ Apoc. c. 18. citantur Vet. Test. effata suæ sententiæ favere opinatur Ewaldius: at quam parum recte, paucis ostendemus. Apoc. 18, 2 sumtum esse putat ex textu hebraico Es. 13, 21. 21, 9. 34, 14. Jer. 50, 39; qua de caussa, nemo facile dixerit. Es. 13, 21 varia animalia fera et monstra silvestria enumerat; cujus loci textus hebraici nulla hic apparent vestigia. Idem dicendum est de Es. 34, 14. Potius ex his quoque locis usus versionis LXX monstrari posset, quum ea שְׂעִירִים Es. 13, 21 et צִיִּים Es. 34, 14 per δαιμόνια (Apoc. κατοικητήριον δαιμόνων) reddat. Cur verba Apoc. ἔπεσεν,

ἔπεσεν Βαβυλὼν necessarie prodierint ex verbis hebræis Es. 21, 9: נפלה נפלה בבל, non autem prodire potuerint ex LXX: πέπτωκε, πέπτωκε Βαβυλὼν haud assequor. Cum Jer. 50, 39 nulla nostro loco intercedit similitudo, quæ in censum venire possit. Verba κατοικητήριον et ὄρνεον ex Es. 34, 11 (LXX: ὄρνεα κατοικήσουσιν ἐν αὐτῇ), fortasse petita sunt. — Apoc. 18, 4. 5. loca Jer. 51, 6. 9. 45. non ita refert, ut verba ex textu hebraico sumta videri possint. — Apoc. 18, 7 textum hebraicum Es. 47, 7. 8. reddere, versionis LXX susbidio non adhibito, falso asserit Ewaldius. Apoc.: ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὑτῆς λέγει secundum LXX: ἡ λέγουσα ἐν καρδίᾳ αὑτῆς. Apoc.: κάθημαι βασίλισσα καὶ χήρα οὐκ εἰμί cfr. cum LXX: ἔσομαι ἄρχουσα (אהיה גברת) — ἡ καθεμένη — οὐ καθιῶ χήρα. Est quoque conferendus locus Apoc. 18, 8: ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν c. LXX: ἥξει — ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ. — Apoc. 18, 21—23 alludit certe ad Jer. 25, 10. 51, 63. 64: at neque his locis verbotenus respondet, neque, ubi a LXX recedit, textum exprimere dici potest. Vestigia versionis LXX jam adsunt in Apoc. 18, 21 (Jer. 51, 63. 64. λίθον, οὕτως, καὶ οὐ μή), certiora autem in Apoc. 18, 22. 23. καὶ φῶς λύχνου — καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης. LXX Jer. 25, 10: φωνὴν νυμφίου καὶ φωνὴν νύμφης — καὶ φῶς λύχνου.

Apoc. 19, 15. coll. Es. 11, 4. Ps. 2, 9. Es. 63, 2.

Apoc. 21, 3. ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσει μετ᾽ αὐτῶν καὶ αὐτοὶ λαὸς αὐ-

τοῦ ἔσονται καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς μετ' αὐτῶν ἔςαι, θεὸς αὐτῶν. Lev. 26, 11. 12. καὶ θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν — καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεὸς καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός. Ezech. 37, 27: καὶ ἔςαι ἡ κατασκήνωσίς μου ἐν αὐτοῖς καὶ ἔσομαι αὐτοῖς θεὸς καὶ αὐτοί μου ἔσονται λαός.

Apoc. 21, 5. Es. 43, 19. — Apoc. 21, 16. Ezech. 41, 21. 43, 16. 45, 2. — Apoc. 21, 23, Es. 60, 19. 20. — Apoc. 21, 25. Es. 60, 11. — Apoc. 22, 1 sq. Ezech. 47, 1 sqq. — Apoc. 22, 3. Zach. 14, 11. —

Apoc. 22, 12. ἰδοὺ ἔρχομαι ταχὺ καὶ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ. Es. 40, 10. ἰδοὺ κύριος — ἔρχεται — ἰδοὺ ὁ μισθὸς αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ.

Comparatio a nobis instituta haud dubie evicit, Joannem Apostolum ut in Evangelio ita quoque in Apocalypsi versionis LXX subsidio usum esse, illamque versionem in sermone Apocalypseos formando maximi fuisse momenti.

§. 19.

Ex indole linguæ Apocalypseos duplicem objectionem peti posse existimant criticorum haud pauci. Quæ attulerunt examinabimus, eorum, quæ jam demonstravimus, ratione habita.

Primum totam linguæ hujus libri indolem a reliquis N. Test. scriptis ratione grammatica adeo diversam esse contendit Ewaldius, ut seorsim sit exponenda (comm. §. 6), quo simul authentiæ quæstio dirimatur (Ewald p. 38). Re autem accuratius

considerata, patebit, hanc Ewaldii disquisitionem nihil contra authentiam probare. Nam non solum ostendit vir ille sagacissimus, „ipsam, qua scriptor Apocalypseos utitur, dicendi licentiam suis limitibus esse circumscriptam et immerito eum neglectarum legum accusari" (p. 46), sed anomaliæ in Apocalypsi obviæ naturam ita describit (p. 38): „Omnia fere, in quibus auctor a dictione bene græca aberrat, ex Hebraismo et Aramæismo fluunt, in enunciationum magis structura, quam in vocum singularum forma conspicua." Verum quisque videt, iisdem verbiis quum totius Novi Testamenti, tum Joannis Evangelistæ dictionem describi (Winer Gramm. d. neutest. Sprachidioms. p. 27. Lücke Comment. d. Schrift. d. Joh. 1 Th. p. 77 sqq. Schott Isag. p. 149.).

Lückius (Einl. §. 27), licet ipse hujus disquisitionis ope authentiam impugnet (p. 362), illius tamen vim mirum quantum imminuit. Anomalias Apocalypseos partim grammaticas esse dicit (p. 212) — ab Ewaldio monstratas — partim rhetoricas — a Winero explicatas („de soloecismis, qui in Apoc. inesse dicuntur" in ejus Exeget. Studien Bd. 1. p. 144 sqq.). Hasce in auctore Palæstinensi ex ingenio libri prophetico explicandas esse ipse concedit; illas autem a ceteris N. Test. scriptoribus, ne Joanne quidem Evangelista excepto, non esse alienas, sequentia breviter docebunt. Ad Winerum et Lückium, Ewaldio in hac re multo accuratiorem, lectores ubique ablegabimus, ne acta agamus. Fre-

quentiores esse anomalias in Apocalypsi, quam in reliquis Novi Testamenti libris, non diffitemur: sed inde non sequitur, indolem linguæ grammaticam prorsus esse aliam.

Anomaliæ genera ita disponit Ewaldius.

1) In syntaxi verborum anomalem temporis futuri et præsentis participiique usum notat. Quæ autem, ut Lückius recte observat, aut minus accurate intellecta aut ceteris Nov. Test. scriptoribus usitata aut ex indole rhetorica sunt profecta. coll. Winer Gramm. p. 230. 291. 219. al. Lücke Comm. Joh. Schrift. 1 Th. p. 74.

2) In syntaxi nominum notat defectum dualis, usum genitivi, usum nominativi articulo juncti pro vocativo, usum accusativi ad tempus definiendum, defectum dativi instrumentalis. In quibus cunctis nihil cerni, quod Apocalypsi sit peculiare, monstrat Lücke. cfr. Winer l. c. p. 150 §. 30. p. 154. 187. 332. Usum Genitivi et Dativi bene græcum Apocalypsi non deesse, patet ex Apoc. 2, 17. 8, 13. 15, 7. 8. 16, 7. 17, 3. 4. — 5, 12. 7, 2. 15, 2. 19, 13. 17. 8, 4. (de quo Bengel Gnom. ad h. l. Winer l. c. p. 176). καιρούς „duo tempora" 12, 14 dicitur ex lingua prophetica Dan. 7, 25. 12, 7. Ewaldius „imprimis notandum" opinatur, ἐκ adhiberi ad partem hominum indicandam Apoc. 2, 10. 3, 9. 11, 9 (quibus locis adde 5, 5. 6, 1. 7, 13. 13, 3. 15, 7. 17, 1. 21, 9): at ipso hoc usu Apocalypsin sequitur Joannes Evang. 1, 35. 40. 3, 1. 12, 4. 13, 21. 23. 16, 17. 20, 24. 21, 2. 2 Joh. 4.

3) De usu particularum. Sæpissime καί, rarius δέ et γάρ reperiuntur: at id Apocalypsi — cui aliæ particulæ, ἀλλά, εἰ, ἕως, ἵνα, ὅτι, οὖν, ὡς, non desunt — nequaquam peculiare, ipsique Joanni in ceteris scriptis (cfr. ev. 2, 13 sqq. 10, 27 sq. cap. 17.) usitatum. Constat enim, quoties in epistolis Joanneis sententiæ sibi oppositæ per καί jungantur, et de evangelio audiamus Lückium l. c. p. 73. [1]) — Quam in particula ὡς Apoc. 4, 7 (?). 6, 1. 16, 13 adhibenda animadvertit anomaliam Ewaldius, tantum uno loco 6, 1. adesse videtur et ibi ad anomaliam appositionis pertinet, de qua infra. Usum præpositionum in Apoc. non esse accuratum, neminem offendit, qui Græcorum in singulis præpositionum notionibus distinguendis ἀκρίβειαν in Novo Test. sæpissime desiderari sciat. (cfr. Lücke l. c. p. 72). Exempla igitur anomalis usus particulæ ἐπί (Apoc. 12, 1. 3. 13, 1) ab Ewaldio prolata, nihil probant; imprimis quum in hac præpositione adhibenda scriptores Novi Test. sæpe negligentiores sint (Winer l. c. p. 346). Denique nonnullas verborum constructiones ex hebraismo explicant; hebraizantium autem constructionum usum Novi Test. libris minime deesse (Winer l. c. p. 32 sq. Lücke l. c. p. 79), quis nescit? Accedit, quod

[1]) „Wir können die hebräische Regellosigkeit und den Griechischen Reichthum unnützmachenden Armuth der Johanneischen Rede nicht verkennen im Gebrauche der Partikeln und Conjunctionen. Wie ganz anders bei Paulus, anders bei den andern neutestamentlichen Schriftstellern!“

ejusmodi formulæ in Apoc. sunt rariores; inveniuntur 11, 11. 2, 4. 6, 10. 19, 2. 18, 20. De Apoc. 11, 11, ubi lectio incerta, cfr. Winer l. c. p. 311 sq. 349. In Apoc. 2, 14 lectionis est varietas; hebraismi imitatio parum probabilis, quum למד solummodo Hiob: 21, 22 cum Dativo personæ jungatur. Wahl (s. διδάσκω) Accusativum præfert. Apoc. 6, 10. 19, 2 ἐκδικεῖν ἀπό s. ἐκ χειρός τινος et Apoc. 18, 20 κρίνειν ἐκ hebraizant quidem, at cfr. Luc. 18, 3. Wahl s. ἐκ et τηρεῖν ἐκ, quod tantum Apoc. 3, 10 et Joh. Ev. 17, 15 legitur.

4) Quod ad integras enunciationes attinet, certum est, solitas appositionis regulas in Apoc. non raro esse migratas; quæ licentia, non ex aramæismo, sed ex dictione rhetorica sive ex constructione mixta profecta, melioris quoque notæ scriptoribus non deest cfr. Winer l. c. p. 195. 303. 451. (Jac. 3, 8). Quoad λέγων, λέγοντες cfr. Winer l. c. p. 471. De Apoc. 17, 4 Winerus et Lückius rectius quam Ewaldius judicasse videntur. Saltem ex ejusmodi loco de grammatica linguæ indole nihil constitui potest. De pronomine demonstrativo post relativum interdum repetito cfr. Marc. 7, 25. 13, 19. Winer l. c. p. 131. Contra ea, quæ ex verborum consequutione probare vult Ewaldius, Winerum audiamus disputantem l. c. p. 452. De καί vide Winerum l. l. p. 366; de 11, 3 Wahl s. δίδωμι. De participio, toti sententiæ, interdum absolute, ex rationibus rhetoricis præposito cfr. Winerum l. l. p. 153 sq. 447. De participio in verbum finitum

transeunte cfr. 2 Joh. 2. Winer. l. l. p. 446. De Apoc. 1, 6 cfr. 1 Joh. 4, 10. 2 Cor. 8, 23. Winerum l. l. p. 452. 203; de Apoc. 1, 4. Lücke et Winer. l. l. p. 64. De copula omissa Winer. l. c. p. 469. De ἵνα in Apoc. minus accurate usurpato cfr. Joh. ev. 11, 37. Wahl s. h. v. Winer. l. l. p. 382 sqq.

5) Anomalia generis et numeri ab Ewaldio notata, ad figuram frequentissimam, constructionem ad sensum, redit; vide Lückium et Winer l. c. p. 193. 195. 298 sqq. (Joh. evang. 6, 2. 10, 27. 12, 12. 18. 17, 2. 1 ep. 5, 16.) De Apoc. 4, 3 vide Winerum l. c. p. 64., quem Ewald, Wahl et Lücke sequuntur; de Apoc. 14, 19 vide Lückium (Einl. p. 225. — aliter Winer. l. c. p. 194.).

Quibus exploratis, mirandum profecto dixeris, Lückium simpliciter contendere (Einl. p. 362): „Der Grundton in der Sprache der Apokalypse ist der Hebräische, in dem Evangelium und den Briefen der Griechische," ex eaque thesi auctoris identitatem negare. Provocat simul ad sensum immediatum; at ita disputationi scientificæ quæstionem subtrahit, eamque arbitrio critici qualiscunque committit. Ostendisse nos putamus, quod grammaticam libri nostri indolem attinet, thesin Lückianam esse omnino improbandam; rhetorici autem dicendi generis indolem authentiæ obstare, nullo jure diceretur. Quod si ea Hebraismi ingenium refert, ideo Apocalypsin a Joanne Apostolo scriptam esse dubitare, mira et Lückii inconstantia. Si enim eundem de indole evangelii Joannei

(Comm. Th. 1. p. 71 sqq. 189 sqq.) disserentem, ejusque colorem naturamque hebræam delineantem audimus, neminem aptiorem dixerimus, qui Apocalypsin nostram scriberet, quam ipsum illum Apostololum. Ex multis hæc adscribamus: „Die Vorherrschaft des Hebräischen, inquit p. 80., lag nicht allein in dem Ungeschick des Johannes, sondern auch bei weitem mehr in seinem eigenthümlichen Wesen.“ „Johannes (idem p. 189) ist contemplativ, in Sprache und Darstellung symbolisch und vorzugsweise analysirend geschichtlich. Dies ist die dem Hebräer eigenthümliche Weise der Erkenntniß und Darstellung.“ Sic quoquæ ipsius hebrææ linguæ indolem cum Joannis ingenio congruam nobis describit; „in dem Hebräischen Elemente (p. 70), wie in der Hebräischen Sprache und ihren Schwestern, zeigt sich die Gewalt des Gefühls und der Phantasie, und durch diese die Vieldeutigkeit und Unendlichkeit des Ausdrucks.“

Quæ si recte exposuit, hebraicum, quo rhetorica Apocalypseos dictio ornata est, characterem cum authentia Apostolica egregie convenire manifestum est.

§. 20.

Priore ex linguæ indole petita objectione refutata, alteram explorandam nobis sumimus, illo discrimine, quod in Apocalypsi exspectandum esse evicimus, disquisitionis fundamento posito.

Alium evangelium epistolasque, alium Apocalypsin scripisse, verbis quibusdam verborumque juncturis allatis demonstrare conati sunt Ewaldius et Lückius (ille comm. §. 9. hic. Einl. §. 39). Diversitatem autem ab iis descriptam, — eliminatis iis, quæ falso attulerint — ex caussis supra indicatis commode explicari posse, per singula eundo monstrabimus.

In Apocalypsi, objiciunt, omnino desunt particulæ bene græcæ, quarum in Evang. nonnullæ leguntur, ut πάντοτε, πώποτε, οὐδέποτε, οὐδέπω. At quum harum particularum usus Joanni Evangelistæ non sit peculiaris, quum ex omnibus quatuor una tantum (πώποτε 1 Joh. 4, 12) idque semel in epistolis reperiatur, quum porro πάντοτε ad verba græca optimæ notæ referri nequeat (melius διαπαντός s. ἑκάστοτε Phryn. eclog. p. 103 ed. Lobeck), quum οὐδέποτε apud Joannem semel, apud Matthæum, cujus linguæ dictionem Apocalypseos similem esse Lückius alias contendit, frequenter legatur, huic argumento — ut rationes universaliores taceam — satis multa opponi possunt. καθώς vocabulum est Joanni in Evang. et epistolis frequentissimum: ejus in Apocalypsi defectum oriri potuisse videtur ex concisa sermonis indole, cui particula ὡς melius conveniret. ὡς in Apocalypsi non adhibetur ad tempus definiendum: at obstitit laxior sententiarum junctura: epistolis quoque hic usus deest. μέν et μέντοι injuria desiderari, Lückius concedit. Quod vocabulum ἐκεῖνος non æque frequens sit in Apoc.

(9, 6. 11, 13. 16, 14) ac in evangelio epistolisque, ab Ewaldio inique notatum esse, Lückius sensisse videtur: neque enim hoc argumento utitur. Neque Lückius repetit argumentum, quod ex Hierosolymæ nomine deducit Ewaldius. In Evangelio legimus ἱεροσόλυμα, — quam formam magis græcam eum serius recepisse, non est mirandum — in Apoc. ἱερουσαλήμ: quæ forma magis hebræa raro (3, 12. 21, 2. 10), semperque de Hierosolyma coelisti adhibetur (uti Gal. 4, 26. Ebr. 12, 22). Omnino magna est in hoc nomine usurpando varietas. LXX ἱερουσαλήμ semper habent: in libro Tobiæ utraque conjungitur forma (13, 16. 17. — 14, 5. 13, 8. 9.). Apud Matthæum, — qui (Winer. l. c. p. 63) cum Marco ἱεροσόλυμα constans servare videtur — cap. 23, 37 ἱερουσαλήμ legitur nulla codicum varietate. Lucas in evangelio semper dicit ἱερουσαλήμ (2, 43. 45. 9, 51. 53. 13, 22), at in Actis utrumque (1, 8. 2, 5. 15, 2. — 11, 2. 22. 13, 13. 25, 1.). Sic quoque Paulus mox ἱερουσαλήμ (Rom. 15, 19. 25. 1 Cor. 16, 3. Gal. 4. 26. — Ebr. 12, 22) mox ἱεροσόλυμα (Gal. 1, 17. 18).

Verba composita in evang. et epp. esse frequentiora quam in Apoc., nullo jure notat Ewaldius. cfr. Lücke Einl. p. 205.

Attractionem pronominis relativi in Apoc. deesse, et Ewaldius et Lückius asserunt; contrarium docet Apoc. 1, 20. (cfr. quoque 17, 8). Negationis ex usu græco repetitionem deesse, iidem affirmant: at deest in epistolis Joanneis, adest in Apoc. 18,

7. 21. Genitivum absolutum deesse queruntur: at hæc constructio tantum in stylo historico Novi Testamenti reperiri solet, in Evangelio non est frequentissima, et quo minus eam Apoc. 9, 9. agnoscamus, nihil impedit (Ewaldius lectionem mutare mavult).

Participia absoluta, ab Ewaldio desiderata, Apocalypsi nequaquam desunt (1, 12 sq. 5, 1 sq. al.), licet sententiarum nexui non arcte inseruntur, ut in evangelio.

Neutra pluralia cum singulari verbi in Apoc. haud raro conjungi, patet ex Apoc. 1, 1. 19. 8, 3. 9, 20. 14, 13. 16, 14. Eadem vero, ubi animantia significant, cum. plur. verb. conjungi (Apoc. 11, 18. 15, 4. 17, 12. 15. 18, 23. 19, 21. 21, 24) neque græcæ linguæ in universum neque linguæ Evangelistæ repugnat cfr. ev. 10, 5. 8. 12. 16. 27. Winer l. c. p. 298. In Apoc. præterea neutr. plur. interdum cum plur. verb. conjunguntur, ubi sermo est de rebus non animatis (1, 19. 8, 11. 15, 4. 20, 12. 21, 4.). Sed hujus constructionis — in Apocalypsi frequentioris — exempla neque aliis desunt, neque ipsi Joanni Ev. 19, 31. Winer l. c. p. 299. — Ex indole linguæ Apocalypseos simpliciore nexuque verborum laxiore sequitur, juncturas magis implicitas ab Ewaldio inique desiderari: quales sunt: usus relativi præpositi, genitivus a nomine suo remotior (cujus rei nulla exempla in epistolis Joannis), enunciationes minores eleganter insertæ (cfr. tamen Apoc.

2, 9. 24. (desunt epistolis)[1]. Sic quoque factum est, ut Apoc. particula οὖν in sententiis simpliciter connectendis non utatur; nam ita adhibita cum stylo Apocalyptico haud convenire videretur. Ubi in Apoc. legitur, consequentiam indicat (2, 5. 3, 3. 19. coll. ev. 9, 7 al.). Tenendnm est, nonnulla verba scriptoribus sensim usu recipi.

Evangelista — contendit Lückius, Ewaldium sequutus — præsens historicum adamavit; id vero Apocalypseos scriptori plane ignotum, licet ipsius stylo peraptum fuisset. At miror profecto, eos non vidisse, id, quod desiderent, in Apoc. reperiri. Ex Apoc. 8, 11. 9, 10. 11. 17. 11, 9. 10. 12, 2—4. 16, 21. 21, 23. 24 patet, præsens eodem modo, quo in Evang. — sæpe conjunctum cum tempore aoristo — pro Aoristo poni, tempori historico inservire, quo narrata vividius proponantur. Iidem critici notatu dignum opinantur, quod, quum in evang. sententiæ ab ipso tempore præsente sive aoristo haud raro incipiant, idem in Apoc. non accidat. Quod si ita esset, perpetuus particulæ καί usus, ex hebræo libri colore ortus, hujus rei defectum facile excusaret. At iterum invenimus, differentiam, quam adesse ajunt, criticis, non Apoca-

[1]) His addit Ewaldius nominum sensu cohærentium divulsionem. Sed hæc constructio, ex rationibus rhetoricis profecta, in ev. et epp. Joanneis non nisi simplicissimo modo adhibita (ev. 2, 11. 4, 37. 5, 4. 10, 41. 11, 9. 12, 18. 1 ep. 1, 5. 2 ep. 5. 3 ep. 4), neque Apocalypsi deest (3, 8. 16, 18. 17, 13. 18, 7. — 11, 6).

lypsi deberi. Nam in Apoc. 9, 11 (ex lectione Griesbachiana, ab Ewaldio relicta) sententia a præsente historico incipit, et 9, 16. 11, 15. 18, 2 a tempore aoristo. Comparari quoque possunt Apoc. 2, 2. 9. 13. 19. 3, 1. 8. 15. Similem criticorum errorem, alii argumento, ab Ewaldio prolato, a Lückio repetito, inesse videmus. In Apocal., objiciunt, eorum sermo, qui loquentes inducuntur, nusquam cum particulu ὅτι incipit. Quæ observatio si vera esset, exigui profecto esset ponderis: at eam falsam esse, ostendit Apoc. 3, 17.

Præterea desiderant in Apoc. constructionem Joanni frequentem: οὗτος — ἵνα et ἐν τούτῳ, ὅτι. At accuratus strictusque sententiarum nexus hoc modo indicatus laxiori Apocalypseos stylo, sententias sententiis nullo externo vinculo adjicienti, parum commodus videtur. Constructionem illi simillimam in Apoc, 2, 6 „ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς etc. nemo non videt.

Quod in evang. ἑρμηνεύεται, λέγεται vel similia nominibus hebraicis per græca explicatis addi solent (Ev. 1, 38. 42. 43. 4, 25. 9, 7. 11, 16. 19. 13. 17. 20, 16), quomodo tandem ut idem in Apoc. fieret, postulare potuerunt critici? Quo nihil fuisset a poetico sermone magis alienum.

Desiderant in Apoc. parallelismum tautologicum affirmative et negative expressum. Inservit cogitatis adumbrandis, penitius persequendis: quare aptius sermoni meditato, quam vividæ, concitatæ prophetiæ poeticæ. Neque tamen ejusmodi parallelis-

mus Apoc. deest; cfr. 2, 13. 3, 8. 9. 16. 17. 18, 14. coll. 9, 6. 10, 9. 10. 11, 5. Idem dicendum est de parallelismo antithetico per affirmationem et negationem expresso, quem in Apoc. nullo jure desiderarunt; cfr. 2, 2. 8. 9. 3, 1. 7. 17. Apoc. 2, 9. ea quoque in re cum locis Evangelii convenit, quod antithesis cum ἀλλά incipit. Videmus igitur, hanc dicendi rationem in Apoc. reperiri; at simul videmus, eam fere non nisi in prioribus capitibus obviam esse: quo confirmatur, quod indicavimus, stylo prophetico ejus usum prohibitum esse.

Ex ipsis vocabulis hæc notant. Desiderant in Apoc. θεᾶσθαι et θεωρεῖν, quorum frequentissimus in reliquis scriptis Joanneis sit usus. Nullo profecto jure ab auctore exigitur, ut in ejusmodi vocabulis quovis tempore repetendis semper sibi constet: quidni aliud alio tempore prætulerit vocabulum? Quum præterea θεωρεῖν in Apoc. (11, 11. 12) bis occurrat, quumque illorum vocabulorum loco alia adhibeantur, Joanni Evangelistæ æque usitata — nimirum βλέπειν, ὁρᾷν et ἰδεῖν — vocabuli θεᾶσθαι in Apoc. defectus nullius momenti esse videtur. Lückius notandum putat, quod ἰδεῖν Apoc. 4, 1. al. absolute dicitur. At idem fit Joh. ev. 1, 40., (cfr. Apoc. 18, 7. Joh. ev. 3, 3. 36.). Addit Lückius, ex verbo ὁρᾷν in ev. et epp. nihil adhiberi, nisi præt. ἑώρακα; quod an discrimen dicendum sit, vehementer dubito (ὄψομαι et in Apoc. et in Evang. frequentissimum).

ἐργάζεσθαι Apoc. 18, 17 peculiari sensu legitur, neque eo modo adhibitum reperimus, quo in evang. et epp. At in eo nihil, quod nos offendat. Nam usus hujus vocabuli Joanni non est peculiaris: deest in 1 epist.: præterea vocabulum affine ἔργον Apoc. 22, 12 (ev. 4, 34.), τὰ ἔργα Apoc. 2, 2. 5. 6. 9. 13. 19. 3, 1. 8. 15, 14, 13. stylum Joanneum indigitat.

ῥήματα in Apoc. fortasse deest (Ap. 17, 17 lectio incerta): at neque hoc vocabulum Joanni Evangelistæ proprium: deest in epistolis. Loco Apoc. 17, 17 rectius legi videtur: οἱ λόγοι τοῦ θεοῦ; in quibus verbis aliud argumentum Lückius deprehendere sibi videtur, asserens, hunc pluralem numerum a genuinis scriptis Joanneis esse alienum. At evang. Joh. 10, 19 et 14, 24 (coll. v. 23) sententiæ ejus adversantur.

πάλιν Joanni cum reliquis Novi Test. scriptoribus commune, quum in Apoc. (10, 8. 11) bis occurrat, in epistolis semel (1 Joh. 2, 8), justæ objectioni ansam præbere nequit.

φωνεῖν in evang. frequens legitur: in Apoc. tantum 14, 18. At exinde argumentum quærere, non licet. In epp. hæc vox deest: φωνή et in Apoc. (1, 10. 12. 15. 4, 1. 5, 2. 11. 6, 1. 10. 8, 5. 9, 9. 13. 11, 15. 19. 16, 17. 18. 18, 22. 19, 1. al.) et in Evang. (3, 8. 5, 25. 37. 10, 16. 27. 11, 43. 12, 28. 30. al.) est frequentissimum. Præterea vocabulum κράζω, quod illius loco Joannes in Apoc. 6, 10. 10, 3. 14,

15. 19, 17. adhibet, Evangelio perquam usitatum est (1, 15. 7, 28. 37. 19, 12).

Cur autem vocabulum ταράσσω in Apoc. sit exspectandum, non video; Joanni non est peculiare, deest in epistolis, neque id significat, quod in Apoc. eodem verbo dicendum fuisse contendere liceat. Quare a Lückiô hoc argumentum jure omissum. Vocabulum illi aliquatenus simile, θαυμάζω, et in Evang. et in Apoc. usurpatur: θαυμαςός Ev. 9, 30. Apoc. 15, 1.

§. 21.

Pergimus in objectionibus ex indole linguæ petitis accurate examinandis.

Præter ea, de quibus sermo fuit, vocabula id imprimis urgent Ewaldius et Lückius, quod verba Joanni Apostolo in Evang. et epp. præ ceteris adamata, ipsisque notionibus Joannis peculiaribus quasi innata, in Apoc. aut plane desint aut raro aliove sensu adhibeantur, alia contra Apocalypsi esse recepta, quæ in reliquis scriptis Joanneis frustra quærantur. Desiderantur, objiciunt, in Apocalypsi μένειν, μένειν ἐν τῷ θανάτῳ, μονή, ἕν εἶναι, εἶναι ἔν τινι (de consortio), ἀληθῶς, παῤῥησία, δοξάζεσθαι, ὑψοῦσθαι, ζωὴ αἰώνιος, ἀπόλλυσθαι, φῶς, σκοτία, ὁ κόσμος (sensu Joanneo), ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, σωτὴρ τοῦ κόσμου, ἄρχων τοῦ κόσμου, ὁ πονηρός, ὁ ἀντίχριςος, ὁ ψεύςης, ὁ πλάνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁ παράκλητος, γεννηθῆναι ἐκ τοῦ θεοῦ, τέκνα τοῦ θεοῦ, ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν, πιςεύειν; le-

guutur autem, quæ aliena sunt a stylo Joanneo, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, πρωτότοκος τῶν νεκρῶν, ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, ἡ οἰκουμένη, ἔχειν τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, ὑπομονή, λόγος τῆς ὑπομονῆς aliaque stylo Paulino similiora, porro κρατεῖν τὴν διδαχὴν s. τὸ ὄνομα, βασανίζειν, βασανισμὸς, ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ s. ὁ κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ s. θεὸς καὶ πατήρ (1, 6. secundum stylum Pauli, quum contra Joannes θεὸς πατήρ 2 ep. 3.).

Quæ objectio, quo magis, levioribus relictis, internum quasi liguæ characterem ab indole Joannea diversum demonstrare studet, eo majoris profecto habenda est ponderis: eâ autem Apocalypseos authentiam, argumentis sat validis superstructam, male impugnari persuasum nobis est. Nam hanc quoque diversitatem, nimis interdum adauctam et temere jactatam, ex rationibus jam adumbratis commode explicari posse, nulli dubitamus. Respiciendum est ad prophetarum imitationem, qua lingua auctoris versionis septuagintaviralis vinculis adstricta est; tenendum est, nullo jure postulari, ut idem notionum verborumque cyclus, qui dogmaticæ expositioni inserviat, in visionibus propheticis delineandis totus recipiatur, ut poetica licentia per solitam docentis linguam circumscribatur; non est prætermittendum, stylum scriptoris sensim posse mutari, posse nova verba recipi, olim recepta antiquari, posse verborum copiam, notionum ambitum variis modis augeri et ampliorem reddi; concedere omnes oportet, ejusmodi linguæ mutationem in Jo-

anne Apostolo optime statui posse, temporis locique mutati ratione habita. Accedit, quod Apostolum in scientia christiana semper profecisse necesse est statuamus; quid ergo mirum, hujus continuatæ meditationis imaginem referre Evangelium, in quo exarando aliorum libros rarissime respexit? Sententiam nostram jam paucis adumbratam singulis phrasibus examinandis uberius exponemus.

μονή in Apoc. non reperiri, notat Ewaldius; at quam inique! Bis tantum occurrit apud Joannem ev. 14, 2. 23. Eodem jure, seu potius injuria, desiderant μένειν ἐν τῷ θανάτῳ: non nisi 1 Joan. 3, 14 legitur. Denique ipsum illud vocabulum μένειν Apocalypsi non deest (17, 10); deest tantum usus ejus dogmaticus (a Paulo non alienus 1 Tim. 2, 15), quem a Joanne semper receptum fuisse, quis, quæso, contenderit?

Formula Joannea ἕν εἶναι, docendi stylo convenientior, prophetico sermoni minus apta videtur; ita vel ex hac caussa in Apocalypsi deesse potuit. εἶναι ἔν τινι, de consortio dictum, ejusdem est naturæ (cfr. tamen Apoc. 14, 13), nullumque præterea styli Joannei criterium [1]) haberi potest: nam Paulo Apostolo, cujus linguæ vestigia in Apocalypsi expressa haud raro reperit Lückius, eadem dicendi ratio in usu est cfr. Rom. 16, 11. 1 Cor. 1, 30.

[1]) saltem ex mente Lückii, qui Einl. p. 370: „Allein dies ist nichts Charakterisches; auch Lukas hat es häufig."

'Ἀληθῶς in Apoc. non inveniri, recte observat Lückius: verum ipsius argumentationem hæc observatio non multum adjuvare videtur.

Idem quoque dicendum est de vocabulo παῤῥησία; refert enim dicendi usum Paulinum æque ac Joanneum; ille recipit quoque παῤῥησιάζομαι, quod apud hunc non legimus.

δοξάζω exstat in Apoc. 15, 4. 18, 7., idque sensu usui Evangelistæ — in epistolis deest — adeo affini, ut facile appareat, quomodo specialiorem hujus verbi significationem sibi postea assumere potuerit Joannes. cfr. Apoc. 15, 4. δοξάζειν τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ cum ev. 8, 54. (coll. 1 Cor. 6, 20). Præterea comparanda sunt loca Apoc. 11, 13. 14, 7. 16, 9. 19, 7. cum Joan. evang. 9, 24 (δίδωμι δόξαν τῷ θεῷ, unde λαμβάνω δόξαν Apoc. 4, 11), ut taceam communem verbi δόξα usum de majestate divina revelata.

Amphiboliæ per verborum ὑψοῦσθαι significatæ nullum offert exemplum Apocalypsis. At observes, hunc loquendi modum solummodo inviniri in sermonibus Christi evangelio Joanneo exhibitis (3, 14. 8, 28. 12, 32. 34), eumque ibi ex nexu oriri, qui idem in Apocalypsi adesse non potuit. Immo ex hoc ipso verbo similitudo quædam inter librum nostrum ceteraque scripta Joannea elici posset: vulgaris enim τοῦ ὑψοῦσθαι usus, qui apud alios Novi Test. scriptores invenitur, et Apocalypsi et evang. Joanneo deest.

Ignorat Apocalypsis, objiciunt, Joanneum illud ζωὴ αἰώνιος. Sed primum in hac phrasi nihil est, quod Joanni sit proprium; cfr. Mth. 19, 16. 17. Luc. 10, 25. 28. Mth. 25, 46. 1 Tim. 1, 16. Deinde Joanni Apostolo æque frequens est simplex vocabulum ἡ ζωή, illius quodammodo radix (ev. 1, 4), ideoque prius dicendum: id autem Apocalypsi tritum est. Apud Joannem alterum pro altero poni, satis constat; cfr. evang. 5, 24. 29. 40. 6, 35. 51. 53. 63. 1 Joh. 3, 14. 5, 12 (coll. v. 11. 13) et evang. 11, 25. 14, 6. 1 Joh. 1, 1. 2. Accedit, quod eæ dicendi formulæ, quæ cum apocalypticis imprimis congruunt, in evangelio quoque τὸ αἰώνιος omittunt; coll. 2, 7. 10. 3, 5. 7, 17. 21, 6. 22. 2. 14. 17. (1, 17. 18. 2, 8. 4, 9. 10) cum ἀνάςασις ζωῆς (ev. 5, 29), ἄρτος ζωῆς (ev. 6, 35. coll. v. 51. 4, 10). Quare nihil diversitatis in hac re apparere, jure nostro statuimus. Pro vocabulo αἰώνιος Apocalypsis magis poetice dicit εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (1, 8. 4, 9. 10. 22, 5. ev. 6, 61 al. εἰς τὸν αἰῶνα).

ἀπόλλυμι legitur Apoc. 18, 14 sensu vulgari, quo etiam ev. 6, 12. 27. Deest autem in Apoc. dogmaticus vocabuli usus, quo τῷ ἔχειν ζωὴν αἰώνιον opponitur (ev. 3, 15. 16. 6, 39. 10, 28. 17, 12): qui vero epistolis quoque deest, neque Joanni soli receptus (cfr. Math. 10, 6. 15, 24. 18, 11. Luc. 19, 10. 1 Cor. 1, 18. 2 Cor. 2, 15. 4, 3. 2 Thes. 2, 10). Accedit, quod illius significationis vestigia verbis ἀπώλεια (Apoc. 17, 8. 11. ev. 17, 12) et

ἀπολλύων (Apoc. 9, 11) insunt. Eoque injustius ex hoc vocabulo argumentum petunt, quod ejus loco aliud adhibet Apocalypsis, Joanni eodem sensu æque peculiare, nimirum ἀποθνήσκω Apoc. 3, 2. coll. ev. 6, 50. 8, 21. 24. 11, 26 (confr. ev. 6, 50 cum vv. 51. 39).

φῶς quoque et σκοτία vocabula sunt, quæ ad stylum Joannis dogmaticum imprimis pertinent; ideoque vix recte postulant, ut in Apoc. eodem modo adhibita reperiantur. Neque tamen consensus vestigia desunt. φῶς invenitur in Apoc. de luce physica: 18, 22. 22, 5 (sic quoque φωτίζω 18, 1): idem in ev. 11, 9. 10. Profundior hujus vocabuli usus apparet ex Apoc. 21, 10. 11. τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ καταβαίνουσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ θεοῦ, ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ. ὁ φωστὴρ αὐτης etc. (coll. vv. sqq.) 21, 23. ἡ δόξα τοῦ θεοῦ ἐφώτισεν αὐτὴν (sc. τὴν πόλιν) καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον (v. 24) καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη διὰ τοῦ φωτὸς αὐτῆς. 22, 5: κύριος ὁ θεὸς φωτιεῖ ἐπ' αὐτούς, quæ loca, ut sermonis similitudo cognoscatur, comparanda sunt cum ev. 1, 9: τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὅ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον. 1, 5: τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει (1 Joh. 2, 8). 5, 35: ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων. ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. 1 ep. 1, 5. ὁ θεὸς φῶς ἐςί. Illa Apocalypseos verba symbolice esse dicta quum totius libri indoles, non res, sed rerum symbola nobis describentis, tum nexus illius loci (Apoc. 21, 12 sqq.) luculenter ostendit. Quod præterea

ad σκοτία et σκότος attinet, eam imaginem Joanni non propriam esse, notissimum est. In Apoc. legitur σκοτίζω Apoc. 8, 12. 9, 2 (σκοτία sensu proprio ev. 6, 17. 20, 1.) et σκοτόω Apoc. 16, 10 tropice usurpatum. Eandem imaginem in verbo νύξ conspicuam esse, (Apoc. 21, 26. 22, 5) patet: est hic quoque cum evangelista consensus, cfr. ev. 11, 10.

κόσμος in Apoc. tantum de mundo s. de orbi terrarum dicitur 11, 15. 13, 8. 17, 8 (ἀπὸ καταβολῆς κόσμου coll. ev. 17, 5. 24, πρὸ καταβολῆς κόσμου); eodem sensu in ev. 1, 10. 12, 9. 16, 21. 17, 15. 21, 25. Huc quoque pertinet formula ἔρχεσθαί εἰς τὸν κόσμον (ev. 1, 9. 3, 19. 6, 14. 16, 28), in qua nihil proprii (cfr. 1 Tim. 1, 15. Ebr. 10, 5), quæque in epistolis paululum mutata repepitur (ἐξέρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον 1 Joh. 4, 1. εἰςέρχεσθαι εἰς τὸν κοςμον 2 Joh. 7., quæ formulæ evangelio desunt). Huic significationi universaliori accessit alia specialior, dogmatica, quæ Apocalypsi deest; neque vero ad Joannem solum pertinet: est Páulo quoque frequentissima 1 Cor. 1, 20. 3, 19. 5, 10. 6, 2. 2 Cor. 7, 10. Ephes. 2, 2. Col. 2, 20. Cum κόσμῳ, significatione vulgari adhibito, Apocalypsis alia vocabula permutat, quorum usum et stylus poeticus et Hebræorum imitatio exegit: veluti ἡ οἰκουμένη, ἡ γῆ, τὰ πάντα (Apoc. 4, 11. coll. ev. 1, 2. πάντα), quorum primum in evangelio non reperiri vix est, quod cum Ewaldio et Lückio miremur. Qnia in Apoc. deest dogmaticus illius verbi usus, desunt quoque enunciationes, ex illa significa-

tione profectæ (ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου). Notionem autem, illo vocabulo expressam (Lücke Comm. 3 Th. p. 54), ab Apocalypsi non esse alienam, vix est, quod moneam. Deest quidem libro nostro denominatio ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, at non ignorat vocabulum σωτηρία Apoc. 7, 10. 12, 10. 19, 1. (evang. 4, 22). ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου epistolis etiam deest, et ad cyclum verborum pertinet, de quibus jam dicendum nobis est.

Diabolus in ev. et epp. vocatur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου (τούτου), ὁ πονηρός, ὁ ἀντίχριςος, ὁ ψεύςης, ὁ πλάνος; contra in Apoc. ὁ σατανᾶς, ὁ διάβολος, ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος al. Adest hic varietas illa jam sæpius indigitata, quam styli dogmatici et poetici discrimen attulit: quod in hisce verbis facile cerni potest. Diabolum a Joanne τὸν πονηρόν vocari, ex sola 1ma ep. certo constitui potest (1 Joh. 2, 13. 5, 18. 19. forsan ev. 17, 15); patet igitur, quam arbitrarie hæc denominatio, quæ non soli Joanni usitata est (Eph. 6, 16. cfr. Matth. 5, 37. 6, 13.), authentiæ criterium habeatur. Sic quoque ἀντίχριςος et ἀντίχριςοι in epp. tantum Joanneis leguntur: num autem Evangelium suspectæ fidei dixeris, quod iis verbis sit destitutum? — ὁ ψεύςης, licet etiam in evang. (8, 44) ad indolem Diaboli delineandam adhibeatur, solo loco 1 ep. 2, 22 nomen ejus haberi potest; igitur in hoc quoque vocabulo nihil invenitur, quod Apostolo nostro sit peculiare. Addere liceat, in vocabulis affinibus auctorum identitatem apparere. In Apoc. 2,

2. 21, 8 habemus ψευδής; ψεύδομαι 1 Joh. 1, 6. Apoc. 3, 9; ψευδοπροφήτης 1 Joh, 4, 1. Apoc. 16, 13. 19, 20. ψεῦδος et in evang. epistolisque et in Apoc. frequens; cfr. imprimis phrasin ποιεῖν ψεῦδος Apoc. 21, 27. 22, 15 cum ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν ev. 3, 21. 1 Joh. 1, 6. — In uno loco, 2 Joh. 7, Diabolus vocatur ὁ πλάνος: videmus ergo, hoc verbum, ut cetera jam allata, authentiæ criterium nullo jure sumi. At miro casu evenit, ut simillima Diaboli descriptio in Apoc. legatur; nam Apoc. 12, 9 vocatur ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην. Patet igitur, hanc denominationem non esse nomen constans: ex alio nexu alia nominis forma prodit (1 Joh. 4, 6 τὸ πνεῦμα τῆς πλάνης. πλανάω Joh. 7, 12. 47. 1 Joh. 1, 8. 2, 26. Apoc. 2, 20. 13, 14. 19, 20.) — Consideremus vero ea vocabula, quibus Apoc. Diabolum insigniat. Sunt imprimis διάβολος et σατανᾶς; et profecto mirandum esset, si hæc vocabula in Apocalypsi desiderarentur; ea enim et Veteris et Novi Testamenti usus loquendi exegit, ipsiusque Joannis Evangelistæ analogia (Joh. 8, 44. coll. Apoc. 2, 9. 3, 9. — evang. 13, 2. 1 Joh. 3, 8. 10. — ev. 13, 27). Præter hæc nomina descriptionibus et imaginibus utitur Apocalypsis, poeticæ libri indoli aptissimis: ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος (sensu vulgari ὄφις ev. 3, 14. Apoc. 3, 19.), ὁ κατήγωρ τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν (cfr. Apoc. 12, 10. ev. 5, 45) [1].

[1]) Si ingeniosa Hartwigii conjectura (Apolog. 2 Th. p. 199 sqq.) sequenda esset, vocabulum ἀντίχριςος in Apoc.

De Spiritu sancto Apocalypsis non adhibet vocabula: τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁ παράκλητος. At hoc nomen Spiritui sancto tantum in evangelio tribuitur (1 Joh. 2, 1. cfr. ev. 14, 16. de Christo), ex sermonis nexu proficiscitur. Idem valet de priore vocabulo (Joh. 14, 17. 15, 26. 16, 13. 1 Joh. 4, 6), quod nullo jure pro nomine constante ubivis repetendo habetur. Comparandus est locus Apoc. 19, 10: ἡ μαρτυρία τοῦ Ιησοῦ ἐστι τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας cum 1 ep. 5, 6 τὸ πνεῦμά ἐστιν τὸ μαρτυροῦν et ev. 15, 26 τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας..... μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ; aliis locis poeticæ linguæ vestigia magis minusve insunt (Apoc. 1, 4. 2, 7. 3, 1. 5, 6. 22, 6). Addere liceat, in vocabulo πνεῦμα adhibendo similitudinem Apocalypseos cum reliquis scriptis Joanneis haud exiguam apparere (Apoc. 11, 11. Joh. 19, 30. — Apoc. 16, 13. 1 Joh. 4, 6. — Apoc. 22, 17. 1 Joh. 4, 6).

γεννεθῆναι ἐκ τοῦ θεοῦ formulis dogmaticis annumerare licebit.

τέκνα τοῦ θεοῦ phrasis est Paulo æque frequens ac Joanni. Apocalypsis habet vocabulum τέκνον 2, 23. 12, 4. 5., idque symbolice positum (cfr. τίκτειν Apoc. 12, 4. 5. ev. 16, 21). Utitur autem enunciatione υἱὸς τοῦ θεοῦ, et de Christo (Apoc. 2, 18. in evang. sæpissime) et de Christianis (Apoc. 21,

13, 18 lateret; nam 666 per בא עד משיח יה (1 Joh. 2, 18 ὁ ἀντίχριςος ἔρχεται) explicat.

7. cfr. ev. 12, 36.), versionis LXX usu loquendi adductus (2 Sam. 7, 14).

ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν desiderant in Apoc. At legitur tantum ev, 3, 21. 1 ep. 1, 6; et phrasin prorsus similem exhibet Apoc. 11, 27. 22, 15: ποιεῖν ψεῦδος (cfr. ev. 8, 34. ποιεῖν ἁμαρτίαν).

Denique — ut huic vocabulorum recensui finem imponamus — verbum πιςεύειν in Apoc. deesse, fatendum est; quod si quis mirum dixerit, non repugnabimus; ideo autem authentiam dubiam videri posse, parum recte statuitur. Habet, ut hoc addamus, alias loquendi rationes Apocalypsis, quibus cum evangelio in ejusmodi sententiis exponendis consentit: ita οὐκ ἠρνήσω τὴν πίςιν μου (Apoc. 2, 13. coll. 3, 8. ev. 13, 38), οἱ τηροῦντες τὴν πίςιν Ἰησοῦ (Apoc. 14. 12 conjunctum cum formula Joanni peculiari τηρεῖν τὰς ἐντολάς); πίςις ut virtutis species Apoc. 2, 19. πιςός, fidelis, Apoc. 2, 10. (coll. ev. 20. 27) 17, 14 (1 Joh. 1, 9), præterea 1, 5. 3, 14 de Christo (cfr. 1 ep. 1, 9.), 21, 5. 22, 6 de λόγοις.

§. 22.

Pervenimus ad alteram objectionis partem, ad ea nimirum vocabula, quæ quum in Apoc. frequenter inveniantur, in evang. atque epp. desiderari mirantur. Id autem ex caussis jam allatis facillime explicatur. Librum tanti ambitus, tam singularis indolis vocabula usurpare sibi peculiaria, suo usui apta, neminem offendere debet; aliorum Novi Test.

librorum analogia idem sæpius accidere quemvis docet. Singulis iis, quæ a Lückio allata sunt, examinandis, sententiam nostram vindicabimus.

Christus in Apoc. vocatur ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ 3, 14. πρωτότοκος τῶν νεκρῶν 1, 5. ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς 1, 5: desunt hæc nomina in reliquis scriptis Joanneis: at in Apoc. non nisi semel inveniuntur, ut ex iis linguæ indoles constitui nequeat. Primum vocabulum ideis Joanneis repugnare — licet non hujus loci sit, id multis exponere — omnino non concedimus. Modo determinationem systematicam ne quis hic exspectet. Christum mundo priorem illis verbis dicit Joannes (ut Paulus: πρωτότοκος πάσης κτίσεως Col. 1, 15. cfr. Joh. 17, 5. Apoc. 21, 6: ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος). Formulæ stamina ostendit Prov. 8, 22 LXX: κύριος ἔκτισέ με (τὴν σοφίαν) ἀρχὴν (ראשית) ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. v. 23. πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με, ἐν ἀρχῇ, πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι. Sensu Joanneo τὸν λόγον τὴν ἀρχὴν πάσης κτίσεως dici posse ostendit quoque Sirac. 37, 16: ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος (καὶ πρὸ πάσης πράξεως βουλή). — Posset etiam notio ejus, quod ratione dignitatis præcedit, retineri (ita ἀρχή Sir. 11, 3. ראשית Amos. 6, 1. Jer. 2, 3), si amplior vocabuli κτίσις significatio præferatur (coll. Sir. 1, 4. 24; 9. Prov. 8, 22). Tertium, quod notant, vocabulum adeo nihil habet proprii, ut nullo prorsus jure hic proferri possit. Singularis Christi denominatio dici nequit: tantum sententiam exprimit alias quoque obviam (cfr. verba

simillima de magna urbe Apoc. 17, 18: ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς), ex analogia Veteris Test. prolatam. Cfr. Ps. 89, 28 עליון למלכי־ארץ (LXX ὑψηλὸν παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς). Apoc. 15, 3 de Deo: ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν. Apoc. 11, 4. ὁ κύριος τῆς γῆς (ex Zach. 4, 14. LXX κύριος πάσης τῆς γῆς). Apoc. 11, 15. ἐγένοντο οἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ τοῦ Χριςοῦ αὐτοῦ καὶ βασιλεύσει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (cfr. Ps. 2, 2. LXX. Apoc. 12, 10. 17, 14. 19, 16. ev. 1, 50. 12, 13. 18, 36 sqq. 3, 3. 5.). Ex hac Hebræorum imitatione — ut id obiter observem — prodiit quoque aliud Christi nomen in Apoc. 5, 5. 22, 16. coll. Esai. 11, 10. evang. 7, 42. — Quod denique et in his et in aliis phrasibus Paulini styli vestigia notat Lückius, eo authentiam Joanneam minime impugnandam esse paucis ostendemus. Neque enim rara est magna Paulum inter et Joannem sententiarum verborumque similitudo. 2 Cor. 6, 14: τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος et 2 Thess. 5, 4. 5. οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει ... πάντες γὰρ ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε καὶ υἱοὶ ἡμέρας. οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς οὐδὲ σκότους sermonis Joannei indolem (1 Joh. 2, 11. 1, 6. 7. ev. 12, 36) omnino referunt. Cfr. Joh. 3, 6. cum Rom. 8, 5. Gal. 4, 29. Formula Joanni frequentissima ἀληθής ἐςιν ἡ μαρτυρία μου (ev. 5, 31. 8, 13. 14. 17. 21, 24. 3 ep. 12) recurrit Tit. 1, 13 ἡ μαρτυρία αὕτη ἐςιν ἀληθής; cfr. ev. 6, 63: τὸ πνεῦμα ἐςι τὸ ζωοποιοῦν (addita sententia opposita) cum 2 Cor. 3, 6 τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ (præmissa

sententia opposita). Joh. 17, 12 et 2 Thess. 2, 13 habent ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Id neque Lückium latuit, qui argumentationi, qualem hic recepit, alio loco se opponit [1]). Exhibent secunda et tertia epistola, quæ earum est brevitas, phrasium Paulinarum haud paucas; cfr. 2 Joh. 3 cum 2 Tim. 1, 2. — 2 Joh. 8. cum Phil. 3, 2. 1 Cor. 16, 10. 9, 17. 18. Gal. 4, 5. — 3 Joh. 2. cum 1 Tim. 1, 10. Tit. 1, 9. 13. 2, 2. Luc. 5, 31. 15, 27. Rom. 1, 10. 1 Cor. 16, 2. — 3 Joh. 6. cum Rom. 15, 24. 1 Cor. 16, 6. Tit. 3, 13. Act. 15, 3. al. Col. 1, 10. Rom. 16, 2. — 3 Joh. 9 φιλοπρωτεύων, cui simillimæ juncturæ Paulinæ 2 Tim. 3, 4. 1 Cor. 11, 16. Rom. 12, 10. 13. 1 Tim. 3, 2. Tit. 2, 4. 1 Tim. 4, 11. Rom. 15, 20. 2 Cor. 5, 9. — 3 Joh. 10. cum 1 Tim. 5, 13. Haud rara est scriptorum Novi Test. in phrasibus et verbis eligendis consensio, ex variis caussis repetenda; nam et Vet. Test. et proverbialis loquendi ratio et Christi sermones et mutua consuetudo eam gignere potuit. (cfr. Schulze d. schriftst. Charakt. d. Joh. p. 288 sqq. p. 341 sqq. Hug Einl. 2 Th. p. 541 sq.).

Redimus ad vocabula nostra recensenda. Ἡ οἰκουμένη, quod evang. et epp. deest, reperitur sæpius in Apoc. (3, 12. 12, 9. 16, 14). At hoc verbum, stylo poetico aptissimum, reddit hebraicum תבל secundum versionem LXX (Ps. 9, 9. 19, 5).

[1]) Comm. 3 Th. p. 256: „Aber Paulinische Ausdrücke findet man einzeln auch im ersten Briefe, und im Evangelium in Menge."

ἔχειν τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ (Apoc. 6, 9. 12, 17. 19, 10) a stylo Joanneo alienum opinatur Lückius: sed errat, si quid video. Ipsum jam vocabulum μαρτυρία authentiæ confirmandæ inservire potest: adeo Evangelistæ præ ceteris frequens est. Si Apoc. 12, 17: τῶν τηρούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ καὶ ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ιησοῦ cum evang. 14, 21 ὁ ἔχων τὰς ἐντολὰς μου καὶ τηρῶν αὐτάς comparaveris, in dicendo similitudinem non negabis. Accedit vero, quod ipsa illa phrasis simillimo modo 1 Joh. 5, 10 recurrit: ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ. (coll. ev. 5, 38.).

Recte observant, ὑπομονὴ, in Apoc. frequens (1, 9. 2, 2. 3. 19. 3, 10. 14, 12), evangelio et epistolis deesse, idem vero Paulo esse receptum. At vidimus jam, hanc cum stylo Pauli congruentiam dubitationibus ansam nullam præbere. Possumus quoque hac in re Joannem agnoscere; dicit enim Apoc. 2, 3 ἔχειν ὑπομονήν, ut alias ἔχειν εἰρήνην, χαρὰν, ἀγάπην, θλίψιν, λύπην, κοινωνίαν, ἁμαρτίαν, παῤῥησιαν al. (ev. 13, 35. 16, 21. 33. 1 Joh. 1, 6. 7. 8. 3, 21. 3 Joh. 4.), et additur eodem loco verbum βαςάζω, quod et sensu proprio (ev. 19, 17. 20, 15. Apoc. 17, 7) et tropico (ev. 16, 12. Apoc. 2, 2. 3) Apocalypsis cum evangelio commune habet.

Parum recte Lückius contendit, ὁ λόγος τῆς ὑπομονῆς, quod tantum Apoc. 3, 10 reperitur, Joannis Apostoli non esse. Phrasis semel adhibita imbecille profecto est argumentum, apud Paulum (cujus styli vestigium hic videt Lückius) non legi-

tur, nexus præterea, quo adhibetur, colorem Joanneum refert (τηρεῖν τὸν λόγον coll. ev. 8, 51. 55. 14, 23. 24. 15, 20. 17, 6. 1 ep. 2, 5. cum Apoc. 3, 8. 22, 7. 9).

Phrasis κρατεῖν τὴν διδαχὴν s. τὸ ὄνομα Χριςοῦ, quæ tantum Apoc. 2, 13. 14. 15. legitur, vix apte objicitur; nihil enim ei inest, quod a Joanne alienum dici possit. Nam vocabulum κρατεῖν (coll. τηρεῖν et οὐκ ἀρνεῖσθαι Apoc. 2, 13. 3, 8.) exstat in evang. 20, 23 (opp. ἀφιέναι), et vocabula, quibuscum jungitur, non desunt in reliquis scriptis Joanneis; ita διδαχή ev. 7, 16. 18, 19. 2 Joh. 9. 10. ὄνομα Χριςοῦ ev. 20, 31. 1 Joh. 2, 12 (cfr. Apoc. 2, 3. 3 Joh. 7.)

βασανίζειν et βασανισμός in Apoc. frequenter, in reliquis scriptis Joanneis nusquam reperiri, objicit Ewaldius. At mirum non est, hæc vocabula, ad res in Apocalypsi adumbratas aptissima, libro nostro esse peculiaria. Lückius hanc objectionem recte omisit. Observes velim, hic quoque apparere stylum Evangelistæ: Apoc. 18, 10. 15. διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ, ut in evang. 7, 13: διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. Neque deest Apocalypsi id vocabulum, quod in hac re evangelio tritum: nam θλίψις legitur Apoc. 1, 9. 2, 9. 10.

ὁ κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ (Apoc. 1, 8. 4, 8. 21, 22) Lückio suspectum videtur. At ortum ex assiduo versionis LXX usu, quæ ita reddit hebraicum יהוה אלהי צבאות (Hos. 12, 5. Amos. 3, 13. 4, 13. 5, 14). Inter omnes satis constat, hoc nomen a prophetis imprimis fuisse receptum;

perversæ igitur criseos est, quod idem Joanni prophetæ placuit, mirari (cfr. Rom. 9, 29. Es. 1, 9. LXX. 2 Cor. 6, 18).

Denique Lückius notat, in Apoc., sicuti apud Paulum, jungi θεὸς καὶ πατήρ Apoc. 1, 6., contra in 2 Joh. 3. θεὸς πατήρ. Quæ observatio quam sit falsa, patebit. Nam primum verba Apocalypseos non accurate afferuntur; sunt nimirum: ὁ θεὸς καὶ πατὴρ αὐτοῦ (sc. Χριςοῦ): quo observato, comparatio a Lückio allata non satis quadrat. Præterea cfr. evang. 20, 17. Apoc. 2, 7. 3, 12. Accedit, quod illæ juncturæ non nisi semel apud Joannem reperiuntur. Denique comparatio cum stylo Paulino hoc argumentum prorsus convellit. Nam Paulus habet quidem θεὸς καὶ πατήρ (Gal. 1, 4. Ephes. 5, 20): at multo frequentius θεὸς πατήρ (Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3. 2 Cor. 1, 2. Eph. 1, 2. etc.).

Absoluto jam objectionum ex indole linguæ Apocalypseos petitarum examine, id nobis effecisse videmur, ut pateat, quam temere huic argumentutioni eam vim tribuerint, quæ traditionis ecclesiasticæ consensum ipsiusque auctoris testimonium convelleret. Ostendimus, quoties critici illi Apocalypseos existimatores plane erraverint, quoties consensum haud diffitendum neglexerint, quoties eadem verba easdemque phrases repetendas esse nullo jure statuerint. In iis, quæ manifesta discordantiæ documenta jactant, similitudinis vestigia sæpe monstravimus. At non solum hac via negativa, verum positivis simul rationibus, Joannis Apo-

stoli stylum in Apocalypseos lingua conspicuum esse, ostendere conabimur.

§. 23.

Jam ante monuimus, eos diversitatis fines, quos unius ejusdemque scriptoris stylus excedere non posset, non esse ita constitutos, ut certæ normæ inservirent. Ipsa Sacra Scriptura luculenta nobis offert documenta, ex quibus magnam linguæ et styli varietatem ab eodem auctore non fuisse alienam satis pateat. Ita Danielis liber linguam hebraicam et chaldaicam uno tenore conjungit; ita evangelii prooemio, lingua bene græca conspicuo, narrationes addit Lucas, hebraismis refertas, neque in Actis Apostolorum sermonis deest varietas (Schott Isag. p. 184); ita epistolæ Pauli non eundem semper referunt stylum: in aliis major linguæ hebraicæ similitudo, in aliis sermo purior, elegantior (cfr. 2 ep. ad Corinth. cum epp. pastoral. Schott Isag. p. 239. n. 1. et §. 77), singulisque epistolis verborum ἅπαξ λεγομένων numerus haud exiguus [1]). Quæ in dicendo discrepantia si quo modo orta sit ostendi potest, librorum authentiam nequaquam suspectam reddit.

Apocalypsi cum reliquis scriptis Jaanneis ne συλλαβήν quidem communum esse, Dionysii fuit opinio (Euseb. h. e. 7, 25). Sed eum in hac re

[1]) H. Planck Bemerk. üb. d. ersten Paulin. Brief. an d. Timoth. p. 51 sq. in ep. ad Philipp. ἅπαξ λεγόμενα 54, Gal. 57, Eph. et Col. 143., 1 Tim. 81. 2 Tim. 63. Tit. 44.

magnopere errasse, nemo est, quin videat. Stylum Joannis Apostoli in Apocalypsi conspicuum esse asserunt Gersdorf (Beiträge z. Sprach-Charakt. d. Schriftst. d. N. Test. 1ste Th. p. 20 n.) et Seyffart (e. Beitr. z. Special-Charakt. d. Joh. Schrift. p. 22), viri in ejusmodi rebus multum versati. Immo ii, qui authentiam libri nostri oppugnant, indolis Joanneæ vestigia non possunt non agnoscere, Vogelium dico (cfr. Lücke Einleit. §. 47), Schottium (Isag. §. 116) et Lückium (l. c. p. 371. al.). Ne autem traditionis et ipsius libri testimonium sequantur, hypotheses fingunt plane arbitrarias [1]).

Ut objectiones prolatas refutaremus, nonnulla jam attulimus, quæ stylum Joanneum ostendunt: quibus alia breviter addemus.

Linguam bene græcam auctori Apocalypseos non fuisse ignotam, Lückius jam monstravit (l. c. p. 204 sq.). Apocalypseos cum reliquis scriptis Joanneis similitudo tam verbis quam phrasibus conspicua est. Multa sunt verba Apocalypsi cum evang. et epp. Joannis communia: quæ autem ceteris N. Test. scriptoribus æque sunt frequentia eodemque modo usurpantur, non est, quod adscribamus. At sunt alia, quæ dictionem Joanneam evidenter referunt, veluti:

1) Vogelius integritatem libri aggreditur: Ewaldius et Lückius eum refutarunt. Schottius et Lückius miram quandam Apocalypseos originem fingunt; de qua infra dicendum erit.

ἀληθινός et Apocalypsi et ceteris scriptis Joanneis frequens. Quod ad significationem hujus verbi attinet cfr. Apoc. 15, 3. 16, 7. 19, 2. 9. 21, 5 (addit. δίκαιος s. πιςός) cum ev. 4, 37. 19, 35; de Christo Apoc. 3, 7. 14. 19, 11. Deus dicitur ἀληθινός in ev. 7, 28. 17, 3. 1 ep. 5, 20 in Apoc. 6, 10: alias non nisi semel a Paulo 1 Thess. 1, 9.

ἀπάρτι. evang. 1, 52. 13, 19. 14, 7. Apoc. 14, 13. Alias tantum apud Matthæum.

βροντή. Apud Mrc. 3, 17. υἱοὶ βροντῆς vocantur Jacobus et Joannes. Exstat præterea in evang. 12, 29. et frequenter in Apoc., ubi φωνὴ βροντῆς, φωναὶ καὶ βρονταί coll. evang. 12, 28. 29. et ἐγένοντο φωναὶ καὶ βρονταί coll. ev. 12, 29. 30.

δείκνυμι et δεικνύω Joannes sæpissime utitur. Apoc. 1, 1. 21, 9. 10. 22, 8. evang. 2, 18. 14, 8. 20, 20 al.

δύναμαι sensu morali. ev. 5, 44. 8, 43. 14, 17. 1 ep. 3, 9. 4, 20. Apoc. 2, 2.

ἑβραϊςί evang. 5, 2. 19, 13. 17. 20. Apoc. 9, 11. 16, 16. Alias non legitur.

ἐκκεντέω non legitur nisi Apoc. 1, 7. evang. 19, 37. Receptum est contra versionis LXX auctoritatem; cfr. §. 18 (Stein in Winers u. Engelh. Neu. Journ. d. theol. Literat. 5 Bd. p. 20 sqq.)

ἰδού in Apoc. frequentissimum, in evang. ἰδού 4, 35. 12, 15. 16, 32. 19, 26 et ἴδε sæpissime. Secundum lectionem Griesbachianam Apoc. 6, 1. 5. 7. ἔρχου καὶ ἴδε ut in evang. 1, 47. 40; Lachman-

nus vero in illis Apoc. locis ἴδε omittit. In 1 ep. 3, 1: ἴδετε.

κοπιάω „defatigor" Apoc. 2, 3. evang. 4, 6 (κ. ἐκ cfr. Apoc. 14, 13). Non alias hoc sensu, nisi Mth. 11, 28.

Vocabula κρίνω, κρίμα, κρίσις et in evang. et in Apocal. sæpe leguntur.

λαλεῖν μετά τινος, si locum Marc. 6, 50 exceperis, soli Joanni proprium evang. 4, 27. 9, 37. 14, 30. Apoc. 1, 12. 4, 1. 10, 8. 17, 1. 21, 9. 15.

ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. evang. 5, 38. 1 ep. 1, 10. 2, 14. (τοῦ Ἰησοῦ ev. 18, 32. 8, 31. 37.) Apoc. 1, 2. 9. 6, 9. 19, 9. De Christo Apoc. 19, 13. ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, ut evang. 1, 1. ὁ λόγος. 1, 1. ὁ λόγος τῆς ζωῆς.

μάννα Apoc. 2, 17. evang. 6, 31. 48. Legitur quoque Ebr. 9, 4.

μαρτυρία Apoc. 1, 2. 9. 6, 9. 11, 7. 12, 11. 17. 19, 10. 20, 4. (μάρτυς 1, 5. 2, 13. 3, 14. 11, 3. 17, 6.), in evang. et epp. Joanneis multo frequentius, quam apud alios N. Test. scriptores. μαρτυρεῖν μαρτυρίαν jungitur et in Apoc. (1, 2) et in evang. et epp. (5, 31—34. 1 ep. 5, 9 cfr. 5, 15. 16); celebratur auctoritas τῆς μαρτυρίας, quæ oculis percepta sincere refert.

μέρος ἔχειν tantum Apoc. 20, 6, ev. 13, 8.

μετὰ ταῦτα formula Joanni imprimis adamata Apoc. 1, 19. 4, 1. 7, 1. 9. 9, 12. 15, 5. 18, 1. 19, 1. 20, 3. evang. 3, 22. 5, 1. 14. 6, 1. 7, 1. 13, 7. 19, 38. 21, 1.

μισεῖν et Apoc. et evang. habet: at aliis quoque frequens.

Vocabulum μισθός non alienum esse a stylo Joanneo, ostendunt 2 ep. 8. ev. 4, 36. (Apoc. 11, 18. 22, 12).

νικᾷν. ev. 16, 33. 1 ep. 2, 13. 4, 4. 5, 4 sq. Apoc. 2, 7. 11. 17. 26. 3, 5. 12. 21. 12, 11. 21, 7. Lückio usus hujus vocabuli in Apoc. ex imitatione ortus videtur, quod nullo objecto determinetur. At vide Apoc. 12, 11 (coll. 17, 14).

νύμφη ev. 3, 29. Apoc. 18, 23. 21, 2. 22, 17.

ὀργὴ τοῦ θεοῦ evang. 3, 36. Apoc. 11, 18 al.

οὐρανός in Apoc. et in evang. (except. 1, 32) semper cum articulo; quæ in hac re constantia apud reliquos N. T. scriptores non invenitur.

ὄψις tantum apud Joannem Apoc. 1, 16. evang. 7, 24. 11, 44.

περιπατεῖν μετά tantum Apoc. 3, 4. evang. 6, 66.

πιάζω. Apoc. 19, 20 cfr. ev. 21, 3. 10. Sæpius apud Joannem (ev. 7, 30. 31. 11, 57) alio sensu.

ποιεῖν ἵνα Apoc. 3, 9. 13, 12. 15. 16. evang. 11, 37.

πορφύρεος solummodo apud Joannem Apoc. 17, 4. 18, 16. evang. 19, 2. 5.

προσκυνεῖν in Apoc. atque in evang. et cum Dat. et cum Accus. person. conjungitur (ev. 4, 23. Apoc. 20, 4). Apud Matthæum (excepto 4, 10), Marcum et Paulum tantum cum Dat.

σημαίνω. in evang. 12, 33. 18, 32. 21, 19 de sermone prophetico, ita in Apoc. 1, 1 (σημεῖον).

σκηνόω evang. 1, 14. Apoc. 7, 15. 12, 12. 13, 6. 21, 3. sæpius non legitur. (cfr. σκηνή Apoc. 13, 6. 15, 5. 21, 3).

στῆθος. Apoc. 15, 6. evang. 13, 25. 21, 20.

In vocabulis συγκοινωνός (Apoc. 1, 9) et συγκοινωνεῖν (Apoc. 18, 4) latet Joanneum illud κοινωνία, Cfr. Apoc. 18, 4 ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς cum 2 ep. 11. κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.

σφάττω tantum apud Joannem. 1 ep. 3, 12. Apoc. 5, 6. 9. 12. 6, 4. 9. 13, 3. 8. 18, 24.

σφραγίζω Apocalypsi frequens (σφραγίς), evangelio non deest. 3, 33. 6, 27.

Non solum phrasis τηρεῖν τὰς ἐντολάς, quæ etiam alibi in Nov. Test. invenitur, Apocalypsi cum ceteris scriptis Joanneis communis est (Apoc. 12, 17. 14, 12. ev. 14, 15. 21. 15, 10. 1 ep. 2, 3. 3, 22. 24. 5, 2), verum etiam alia, Joanni peculiaris, τηρεῖν τὸν λόγον Apoc. 3, 8. 10. 22, 7. 9. 1 ep. 2, 5. evang. 8, 51. sq. 55 (ubi, quod Lückius in Apoc. notandum putat, per phrasin illam priorem non explicatur) 14, 23 sq. 15, 20. 17, 6. Accedit, quod τηρεῖν ἐκ solummodo legitur Apoc. 3, 10. evang. 17, 15. (Apoc. 22, 14. cfr. c. ev. 14, 31. 1 ep. 2, 17. 29. 3, 7. 22).

φοῖνιξ tantum legitur Apoc. 7, 9. evang. 12, 13.

ὁ Χριςός (apud Paulum et Petrum vulgo Χριςός vide Gersdorf l. c. p. 272 sqq.) tam in Apoc.

quam in evang. et epp. Apoc. 11, 15. 12, 10. 20, 4. 6. evang. 1, 20. 25. 3, 28. 4, 25. al. 1 ep. 2, 22. 5, 1. 2 ep. 9. Etiam sæpe Ἰησοῦς Χριςός Apoc. 1, 1. 2. 5. 9. 22, 21. ev. 1, 17. 17, 3. 1 ep. 1, 3. 7. al. 2 ep. 7. (Apoc. 22, 20. 21. cfr. 2 ep. 3.) Nusquam invenitur junctura Paulina ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριςός.

ὥρα cfr. Apoc. 3, 10. cum ev. 12, 27.

Redeunt in evangelio phrases Apocalypseos, quales γίνου πιςός Apoc. 2, 10. ev. 20, 27. (sensu alio), καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἀναβαίνειν εἰς τὸν οὐρανόν (ev. 3, 13. Apoc. 3, 12. al. 11, 12), κύριε, σύ οἶδας (ev. 21, 15. 16. 17. Apoc. 7, 14), ὄνομα αὐτῷ ὁ κ. τ. λ. (evang. 1, 6. 3, 1. 18, 10. Apoc. 6, 8. 9, 11), ὕδατα πολλὰ (ev. 3, 13. Apoc. 1, 15), ἀπεκρίθη λέγων (evang. 1, 26. 10, 33. Apoc. 7, 13. — nusquam apud Joannem ἀποκριθείς neque ἀποκριθεὶς εἶπε.) In evang. sicuti in Apoc. vocabulis græcis hebraica explicari solent. Apoc. 1, 7. 3, 14. 9, 11. al. Evang. 1, 38. 42. 43. 4, 25. al. In constructione rariore consensus inter Apoc. 2, 7. 17. 26. 3, 21 et ev. 6, 39. 15, 2. 17, 2. Ut apud Paulum et Lucam, ita apud Joannem μοῦ et σοῦ substantivis præponi solent (Apoc. 3, 1. 2. 8. 15. 10, 9. 14, 18. 18, 5. evang. 2, 23. 3, 19. 21. 33. 4, 47. al.). ἐκ ad numerum partitivum indicandum et in Apoc. et in evang. adhiberi, jam ante diximus. Sæpissime in scriptis Joanneis reperitur καὶ αὐτός s. αὐτοί: deest autem iis ὁ αὐτός, ἡ αὐτή, τὸ αὐτό (exc. 1 ep. 2, 27), quod apud Matth., Luc., Jacob.,

Paul. et Petr. legitur. εἰ δὲ μή Apoc. 2, 5. 16 ut ev. 14, 2 et ἵνα μή — ἀλλ' ἵνα Apoc. 9, 5 ut ev. 18, 28 (3, 17). Quædam conjunctiones et Apocalypsi et reliquis scriptis Joannis desunt, ut διό, διότι, ἕως ἄν, licet aliis Novi Test. auctoribus non ignorentur; ἕως οὗ, quod Matthæo et Lucæ frequens, apud Joannem semel reperimus (ev. 13, 38). Juncturæ nonnullæ: ἐν τῷ γένεσθαι, εἰς τὸ γένεσθαι, πρὸς τὸ γένεσθαι, μετὰ τὸ γένεσθαι, ἀντὶ τοῦ γένεσθαι, quæ in Novo Test. non sunt raræ, neque in Apoc. neque in evang. neque in epistolis Joanneis usurpantur. Et Apoc. et reliquis scriptis Joanneis multa vocabula desunt, ceteris N. T. scriptoribus frequenti usu recepta (θησαυρός, θησαυρίζω, γέεννα, μετάνοια, composita ex δυς al.).

Stylus evangelii non solum eo nomine cum Apocalypsi comparari potest, quod imagines amat — ex ipsius Christi sermonibus haud dubie profectas, ut evangeliorum nos docet comparatio — verum etiam, quod omnes fere imagines in evangelio uberius adumbratæ in Apocalypsi adsunt, licet sæpe alio modo adhibitæ et exornatæ. Qui imaginum consensus haud raro effecit, ut in iis exponendis Apocalypsis et evangelium eadem verba eligerent: quod comparatione instituta patebit.

Frequentissima in ev. Joanneo imago a luce petita est; huc pertinent φῶς, φωτίζω, δόξα, λύχνος, φαίνω (ev. 1, 9. 14. 5, 35), quæ omnia symbolice ponuntur in Apoc. 21, 23 sqq. (cfr. 1 ep. 1, 7. ev. 9, 4.).

Cfr. Apoc. 3, 17. 18. 1 ep. 2, 11. 20. ev. 9, 6. 11. 39 sq.

Christus in evang. 3, 29 dicitur νυμφίος, ὁ ἔχων τὴν νύμφην (ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου): ita in Apoc. Hierosolyma sancta coelitus descendit ὡς νύμφη κεκοσμημένη τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, est ἡ νύμφη, τοῦ ἀρνίου ἡ γυνή (19, 7. 21, 2. 22, 17. ὁ γάμος τοῦ ἀρνίου). Quibus adjungi potest phrasis plane Joannea Apoc. 3, 20: ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου (ev. 10, 27. τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει) καὶ ἀνοίξῃ τὴν θύραν (ev. 10, 1. ὁ εἰςερχόμενος διὰ τῆς θύρας) εἰςελεύσομαι πρὸς αὐτὸν (ev. 14, 23. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν coll. Apoc. 21, 3.).

Ὁ διψῶν, dicit Apoc. 22, 17, ἐρχέσθω, ὁ θέλων λαβέτω ὕδωρ ζωῆς δωρεάν; cfr. ev. 7, 37: ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω. ev. 4, 10: ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν; ita quoque Apoc. 21, 6. ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν. Apoc. 7, 17. ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ ζωῆς πηγὰς ὑδάτων; cfr. ev. 4, 14. πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. Apoc. 22, 1. ποταμὸς ὕδατος ζῶντος. Quare Apoc. 7, 16 οὐ πεινάσουσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι ut evang. 6, 35 ὁ ἐρχόμενος πρὸς με, οὐ μὴ πεινάσῃ καὶ ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. Manifestum in hac imagine adornanda similitudinem Lückius eo imminui putat, quod Apoc. dicit ὕδωρ τῆς ζωῆς, evang. ὕδωρ ζῶν: at illam dicendi rationem non esse minus Joanneam, docet evang. 6, 35 ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς.

Verba Apoc. 2, 17 δώσω αὐτῷ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου (Col. 3, 3. 1 Cor. 10, 3) et πεινάω Apoc. 7, 16 optime comparari possunt cum evang. 6, 32. 35. 48. 49. 51. (πεινάω, μάννα, ὁ ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἀληθινός, ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς); cfr. Apoc. 22, 2 ξύλον ζωῆς.

θερισμός imagini inservit Apoc. 14, 15. ev. 4, 35; ἄμπελος symbolum est aliud Apoc. 14, 18 sq., aliud ev. 15, 1. sqq.

Imaginem, quam exprimunt verba Christi ev. 18, 11: τὸ ποτήριον, ὃ δέδωκε μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό, in Apocalypsi frequentem esse, satis constat.

Christus in evang. 10 ὁ ποιμήν dicitur, qui ducit τὰ πρόβατα καὶ τὰ πρόβατα αὐτῷ ἀκολουθεῖ; ita in Apoc. quoque (7, 17) is est, qui Christianos ποιμανεῖ καὶ ὁδηγήσει; cfr. Apoc. 14, 4 οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ. Alia autem ratione Christus ὁ ἀμνός est (ev. 1, 29. 36), sive τὸ ἀρνίον (Apoc. 5, 6. 12. al. coll. ev. 21, 15); ad hanc comparationem pertinent verba Apoc. 1, 5 (coll. 5, 9. 7, 14. 12, 11): τῷ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ; cfr. 1 ep. 1, 7: τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριςοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας (ev. 10, 15. 11, 51. 52).

Ratione ergo habita illius diversitatis, quam in Apocalypsi cum evang. et epp. comparata exspectandam esse sæpe monuimus, libro nostro styli Joannei similitudinem nequaquam deesse ostendisse nos putamus.

§. 24.

Non solum ex linguæ verborumque indole argumenta, quibus authentiam Apocalypseos impugnarent, petierunt ii, quibuscum hic nobis res est: verum in rebus quoque exponendis, enarrandis, describendis Apocalypsin ab evangelio et epistolis Joanneis adeo diversam esse iidem asserunt, ut ejusdem hominis hæc scripta esse nequeant. Quod eos parum recte contendisse, ostendere conabimur.

Argumentorum diversitatem postulare, ut eorum tractandorum ratio diversa sit, nemo non videt. Si igitur, quod concedendum est, libenter concedimus, aliud nimirum artis (ut ita dicam) genus in Apocalypsi, aliud in evangelio et epistolis conspicuum esse: ex hac diversitate nullam authentiæ suspectæ reddendæ ansam peti posse, ipse Lückius vidit (Einl. p. 372), idemque fatetur, nihil obstare, quo minus eundem Apostolum et prophetam et evangelistam et epistolographum fuisse, diversaque argumenta diverso modo apte exposuisse statuamus. Non nisi scriptoris ingenio destituti esse, dicendi modum argumento non adaptare, omnes intelligunt.

Hanc autem Apocalypseos cum reliquis scriptis Joanneis comparatæ in rebus exponendis diversitatem tantam esse, ut Apostolus libri nostri auctor haberi nequeat, duplici argumento evincere vult Lückius: cujus argumentationis pondus examinare, sequentium est.

§. 25.

In septem illis epistolis, a quibus Apocalypsis incipiat, manifestam cum stylo epp. Joannearum similitudinem summo jure exspectari, nullam inveniri, quamvis demto ornatu apocalyptico, Lückius objicit. Nusquam, inquit, in illis epistolis solitae compellationes (ἀγαπητοί, ἀγαπητέ, τεκνία μου), nusquam sententiarum gravissimarum repetitio, organica earum explicatio („kreisförmiges Fortschreiten"), nusquam adhortatio ex intimo tenerrimoque amoris affectu profecta: alius est mutuus sententiarum nexus: nulla earum cum fundamentis vitæ christianæ conjunctio, nulla virtutis christianæ vinci nesciæ celebratio. Contra laus parca manu tribuitur, in reprehendendo prolixus est propheta: non precibus hortatur, sed severo minaceque jussu terret.

At primum nullo jure postulat vir sagacissimus, ut Apocalypseos epistolæ, alio tempore, alia prorsus ratione conscriptæ, quas brevissimas exhortationes rectius dixeris quam epistolas, eundem stylum, idem artis genus, eandem methodum referant, quam reliquæ Joannis epistolæ, quibus aliud omnino est argumentum: patet quoque, descriptionem literarum Joannis, a Lückio exhibitam, primæ quidem epistolæ, at non ita secundæ et tertiæ, quæ tamen brevitate sua apocalypticis similiores dici possint, convenire. Epistolæ apocalypticæ ipsius Apocalypseos partem efficiunt, itaque ejus colorem referunt, qui in singulis industria servatur. Sunt symmetricæ, singulis idem fere initium, eadem conclusio

variæ sunt singularum imagines, idque ita, ut descriptio Christi loquentis ex cap. 1, descriptio præmiorum ex capp. 20. 21. 22 petatur. Patet igitur, quam sit difficillimum has epistolas brevissimas, ornatu apocalyptico remoto, ceteris comparare. Scriptæ sunt nomine Christi; deest prolixior adhortationis stylus, qui institutioni simul inserviat: in sermone conciso jubentis Domini auctoritas conspicua; cur postulant vocabula, quibus Apostolus discipulos compellare amet? Severitatem præterea, quam in his oraculis propheticis mirantur, a Joanne non esse alienam omnes scimus (1 ep. 5, 16. 19. 2 ep. 9. ev. 8, 44 coll. Luc. 9, 54. Mrc. 9, 38). Quo magis ad certa quædam vitia castiganda, ad certas ecclesias describendas adaptatus est sermo, eo minus doctrinæ expositio, theoriæ christianæ explicatio hic est exspectanda.

Quod autem non sine jure quodam exspectat Lückius, fore, ut hæ epistolæ magis quam reliquæ Apocalypseos partes stylum Joanneum referant: id quoque factum esse, facile cognosci potest. In iis Christi amor celebratur (3, 9), mutuique amoris est commendatio (2, 4. 19): in iis parallelismi antithetici, sententiæque per affirmationem et negationem repetitæ: in iis reperimus τὰ ἔργα, particulam οὖν, constructionem ἀλλά τοῦτο, ὅτι (2, 6) et alia, de quibus supra diximus (cfr. Hartwig Apolog. Th. 4. 1. §. 2—11. Eichhorn Einl. N. Test. 2 B. 2 H. p. 381). Ita quoque fieri potuit, ut Vogelius (comm. 7 de apoc. Joann. 1811—16), qui duos Apocalyp-

seos auctores statuit, Apostolum et Presbyterum, has epistolas ob internas rationes Apostolo tribueret (cfr. Schott Isag. §. 116. n. 5).

§. 26.

Toto narrationis et descriptionis ingenio indoleque nativa — hæc est altera objectio — differunt Apocalypseos auctor et Evangelista: ille Rabbinicæ doctrinæ et artis usum ubivis ostentat, hic ab eo est plane alienus.

Quod Apocalypsis sacra Hebræorum scripta sæpius in usum suum convertit, quam Evangelium, ex diverso librorum argumento diversoque auctoris consilio explicari posse, Lückius concedit: illius usus rationem jam supra uberius exposuimus. Accedit temporis discrimen, quod eo minus est obliviscendum, quum Joannem Apostolum, Palæstina relicta, ingenio et sermoni græco magis magisque assuefactum esse, recte statuamus. Si igitur hæc objectio, a Lückio prolata, aliquid sibi velit, necesse est, Rabbinicam illam doctrinam, quam in Apocalypsi conspicuam esse notat, accuratius definire noluit, Joanni Apocalypseos auctori ita adscribat, ut Ewaldius (comm. p. 35 sq.). Is nimirum Joannem nostrum ita describit. „Plurima ex Judæorum scholis hausit: arcana Pharisæorum et Kabbalistarum disciplina haud leviter imbutus erat: Israelitarum non tantum historiam antiquam, sed linguam etiam tum temporis paucis e plebe perspectam optime edoctus erat: scholarum judaicarum commenta magni

faciebat." At dubito sane, an Joanni nostro hæc doctrinæ copia sit tribuenda; rationes, quibus se eo adduci passus est Ewaldius, aliis vix placebunt. Audiamus ejus argumenta. „Quæcunque de angelis, dæmonum spiritibus, Satana et similibus tradit, ex hoc opinionum judaicarum fonte hausta sunt." At si hujus argumenti ulla esset vis, reliqui etiam Apostoli Rabbinorum sunt discipuli. „Stylus hic illic Kabbalistarum commenta spirat." At hoc quomodo ex Apoc. 1, 4. 5. 4, 2 eluceat, non video; Rabbini de 10 Sephiroth loquuntur, numerus autem septenarius toti scripturæ receptus est (Genes. 41, 2. Ruth. 4, 15. Esai. 4, 1. — Math. 12, 45. 18, 21. 22. Luc, 11, 26. — Gen. 21, 28. Levit. 4, 6. 17. Exod. 37, 23 coll. Apoc. 4, 5. Esai. 11, 2. (Tob. 12, 15). Matth. 1, 17. — Zachar. 4, 10 coll. Apoc. 5, 6.).

„Artis Kabbalisticæ Gematria dictæ vestigium satis manifestum Apoc. 13, 18." Hoc autem vestigium vix admodum manifestum habendum est; nam ipse Ewaldius p. 235. n. 1: „Sed ea ratio ab hac, quam vates hic sequitur satis est diversa, ut an ex Rabbinorum mente recte Gematria dici possit, dubitem;" cfr. Eichh. comm. p. XXXV. Neque loca Apoc. 21—22, 5 et 2, 17 (coll. Joh. ev. 6, 27 sqq. Col. 3, 3) sententiam Ewaldii probant. Usu V. T. Apocalypsin ab Evangelio non differre, jam ante evicimus: quare neque hac via neque ex vocabulis nonnullis hebraicis sermoni græco immixtis (ἀμήν, σατανᾶς, ἀλληλούϊα, ἀβαδδών) demonstrari ullo modo

poterit, in Apocalypsi hebraicæ linguæ peritiam apparere, quæ a Joanne Apostolo sit aliena.

Joannes igitur arte cabbalistica non magis imbutus erat, quam Jeremias (25, 26. 51, 41. cfr. Wineri lexic. s. שֵׁשַׁךְ) et Daniel (cfr. Stäudlin Neu. Beitr. z. Erläut. d. bibl. Proph. p. 104), in quibus ejusdem artis vestigia deprehendere sibi visi sunt nonnulli. Illa argumentandi ratione effici posset, Paulum Apostolum in scriptis poëtarum græcorum multum fuisse versatum. Aliud est, ex comparatione cum doctrina Rabbinorum Apocalypseos interpretandæ præsidia petere; aliud Apocalupseos auctorem ea imbutum eique inhærentem describere.

At in Vetere Testamento applicando, allegando, interpretando ubique versatur Apocalypseos auctor; quod in Joannem Apostolum non quadrare, ex Act. 4, 13, ubi ἀγράμματος καὶ ἰδιώτης audit, vix recte conjicit Lückius. Evangelium enim, libros sacros illi optime cognitos fuisse, indubium reddit; cfr. ev. 12, 38 sqq. Quod in evangelio V. Test. usus non æque frequens est ac in Apocalypsi, ex eo nulla petenda est objectio: ita enim evangelium suspicioni esset subjiciendum, si cum epistolis, in quibus verba Test. nusquam citantur, compararetur. Idem in Paulo accidit, cujus aliæ epistolæ (Rom. Gal.) frequentissimum, aliæ (Philipp. Col. etiam epp. pastor.) nullum V. Test. usum ostendunt.

§. 27.

Apocalypsi cum reliquis scriptis Joanneis comparata, Joannem Apostolum scriptorem fuisse intelligimus, qui profundissima quævis animo concipere, imaginibus et symbolis exprimere, styloque simplici describere potuerit. Non imitatur Paulum, qui sententias sententiis, verba verbis cumulat, nexu interrupto; at oratione utitur intercisa, singula singulis sensim annectit. Quare sententiarum per particulam καί conjunctio non solum Apoc. frequentissima, verum quoque evang. et epp. (ev. 2, 13 sq. 10, 27 sq. cap. 17. 1 ep. 3, 23 sq.): quare in eadem sententia varie repetenda sæpe versatur, cujus dicendi rationis exempla neque Apoc. deesse, epistolæ imprimis apocalypticæ monstrant [1]). Symbolorum amorem non sola Apoc. ostendit, iis ubique referta, sed etiam Evangelium. Joannes enim evangelista imaginibus delectatur, typos V. Test. (3, 14. 19, 36) colligit, actiones symbolicas (12, 1 sqq. 13, 1 sqq. 20, 22) non negligit, profundiorem vim (11, 51. — 2, 21 sq. 7, 39. 8, 27. 11, 13. 12, 16. 33. 21, 22) ex verbis dubiis elicere amat. Quare apte et pulchre Lückius: „Die Symbolik ist das Organ der Darstellung im Evangelium", „Symbolisirung des Geistes sichtbares Princip und Grundcharakter" (Comm. Th. 1. p. 192. p. 90.) et (l. l. p. 192). „Wollen wir es kurz sagen, in Johanneischen Ausdrücken: Der Beginn

[1]) Apoc. 22, 6 sqq. cum ev. 12, 37 sqq. scite comparavit Paulus Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 440.

des Evangeliums ist eine ὅρασις mit der dazu gehörigen ἀποκάλυψις, die Entwickelung derselben ist eine ἐξήγησις, ein Darlegen und Ausweisen des in Grundsymbolen Angeschaueten in den Zeugnissen der Geschichte." Quæ si recte dixerit interpres ingeniosissimus, solam Apocalypsin eum canonis nostri esse librum, qui hunc characterem Joanneum referat (cfr. Lücke Einl. p. 371. Comm. 1 Th. 68), quis non concedet?

§. 28.

Tertiam denique, qua Apocalypseos authentiam oppugnent, argumentationem ex idearum hujus libri indole, ex tota sentiendi cogitandique ratione in eo conspicua petunt, quæ ab ev. et epp. Joannis adeo abhorreat, ut hæc scripta unius ejusdemque auctoris esse nequeant.

Hujus autem argumentationis fundamentum parum firmum est. Ponunt enim (Lücke Einl. p. 377), Joannis Apostoli sentiendi cogitandique rationem semper sibi omnino constitisse, typum doctrinæ Joanneæ evangelio epistolisque expressum eum esse, qui solus in hunc Apostolum quadret. Sed mirum hocce principium cur sit admittendum, nos non docent: id autem ullis argumentis probatum esse, plane negamus. Thesi suæ subsidium paraturus contendit Lückius, ea non concessa, Apostolicam Apocalypseos authentiam evinci non posse. Quæ si solis argumentis internis demonstranda esset, justa esset Lückii propositio: quæstionem autem alio modo dirimendam esse, ante docuimus.

Lubenter concedimus, eximiam esse evang. et epp. Joannis in dicendo, sentiendo, cogitando congruentiam: sed inde non sequitur, Apocalypseos authentiam non posse vindicari, nisi hujus libri indoles illis plane respondeat. Quo jure, quæso, contendere licebit, Joannem Apostolum præconii munus suscipientem jam eundem plane fuisse, quem Evangelium ejus nobis ante oculos ponat? Quidni verisimilius, eum ad hunc gradum altissimum sensim pervenisse, eum hanc in fide christiana tradenda maturitatem, hunc placidum sermonis tenorem, profundam veritatis cognitionem, symbolico involucro haud raro ornatam, sensim sibi conciliasse? Si cogitaveris, qualem Joannis imaginem paucissimae illae vitae juvenilis reliquiæ nobis exhibeant (Luc. 9, 49. 54. Marc. 9, 38. 10, 35), hanc sententiam haud dubio præferes: insitas enim animi dotes ingeniique virtutes fide christiana sensim perficiuntur, sanctiores, præstantiores redduntur. Itaque nihil obstat, quo minus Apocalypseos et Evangelii diversitatem agnoscamus, illiusque libri indolem gradum quendam tempore priorem, dignitate inferiorem referre statuamus. Lückius quidem contendit, Apocalypseos characterem esse suo modo adeo perfectum, ut neque melior neque alius evadere potuerit. At quum hunc librum inferiorem doctrinæ typum exhibere ipse putet, non video, quo jure eum mutari non potuisse constituát. Scripturæ analogia ejusmodi sententiam vix commendat (Joh. 16, 13. Act. 10. Rom. 1, 12. 1 Cor. 13, 9. Phil. 3, 13.).

Quibus præmissis, idearum, quam notant, discrepantiam ad authentiam libri nostri impugnandam injuria allatam esse, singulis accurate examinandis ostendere conabimur.

§. 29.

In idea parusiæ Christi concipienda atque delineanda, summam conspicuam esse objiciunt auctorum nostrorum diversitatem. In Apoc. hæc doctrina typo crassiore expressa est, nullo symboli et ideæ discrimine facto; omnia, quæ huc pertinent, externa sunt, sensibus subjecta, tempori locoque certo adstricta. Contra in evang. et epp. hoc dogma πνευματικῶς intellectum est, symbolum non simpliciter repetitur, at idea, ex symbolicis involucris liberata, accurate explicatur, interna hujus rei momenta, notiones universales exponuntur, externa quævis plane recesserunt. Cujus objectionis pondus eo augetur, quod evangelica hujus dogmatis expositio ex sermonibus Christi est profecta: qui quum a Joanne non sint ficti, patet, Evangelii auctorem, hosce sermones, quibus veriora edoceretur, memoria tenentem, Apocalypsin, crassioris sententiæ tenacem, scribere non potuisse.

Proficiscitur hæc objectio ex discrimine πίστεως et γνώσεως perperam constituto; historica et symbolica institutio ideali ita opponitur, ut altera alteram excludat. Verum historia, symbolum et idea ita sunt conjungenda, ut se invicem confirment, explicent, adjuvent; qui, reali fundamento spreto,

idealem cognitionem solam sibi eligit, non minus errat, quam qui, hac repudiata, illud tantum tenendum esse existimat. Γνώσεως non est πίςιν tollere; verum ex ea profecta, eaque nutrita eam conservat. Quare non solum in eo, de quo agitur, dogmate, verum in plurimis aliis historica elementa cum idealibus conjungit Sacra Scriptura, eumque nexum internum symbolico historiæ usu haud raro ostendit. Historica traditio, quæ Christum de Spiritu Sancto conceptum, ex Maria virgine natum docet, non tollitur per idealem τοῦ λόγου cognitionem: filii cum patre conjunctio, quia moralis dici potest, non minus recte metaphysica habetur: Christum vere mortuum resurrexisse, eo non dubium redditur, quod symbolica hujus rei in facto positæ vis indicatur: reditus filii ad patrem a Joanne delineatus non repugnat evangelistæ de Christo in coelum sublato narrationi. Paulus et de interno (Tit. 3, 11) et de externo judicio (Rom. 2, 5 sqq.) loquitur: conscientiæ decreta cum externa remuneratione et poena optime constare possunt.

Itaque Christi sermones etiam in hoc dogmate exponendo historica ideæ conjunxerunt: cujus rei documentum exhibent evangelia nostra. Nullo enim jure priorum evangelistarum relationi detrahunt, qui eam ex verbis Christi prave intellectis ortam fingunt, aliamque hujus doctrinæ adumbrationem, quam Joannes Evangelista servavit, solam Christo dignam opinantur. Quod si hic typus historicus institutione Servatoris niti dicendus est, patet, Joannem in Apo-

calypsi scribenda Domini verbum non minus sequutum esse, quam in Evangelio; summam enim libri nostri cum Matthæo, Marco et Luca esse congruentiam, comparatio instituta quemvis facile docet (cfr. Olshausen biblisch. Comment. ad Mth. 24, 1 sqq. Th. 1. p. 855 ff.).

Quo minus idealis hujus dogmatis intelligentia — fidei historicæ adjuncta — altiorem locum tenere statuatur, nihil impedit: idque cum sententia nostra egregie convenire, quisque facile videt. Nonnulli forsan Apostolorum in simplici πίςεως κηρύγματι semper substiterunt: alios ad profundiorem dogmatis scientiam tendere videmus: Joannes idealem notionem perspicue exponit. Mira est Lückii præsumtio, Apocalypseos in hoc dogmate tradendo typum suo modo esse adeo perfectum, ut idealis Evangelii Jannei explicatio ab illius libri auctore nunquam proficisci potuerit. Comparat ipse Lückius apocalypticam de reditu Christi doctrinam cum 2 Thess. 2 (Einleit. p. 380); ipse docet, Paulum Apostolum ex fide mere historica ad idealem explicationem tendere (p. 379. Comm. 3 Th. p. 144): quo jure ergo contendit, Apocalypseos auctorem altiorem locum nunquam potuisse obtinere? Quod Lückius urgere videtur, Evangelii Joannei doctrinam ex germine apocalyptico sensim adaucto non posse immediate ortam dici (p. 382 Einl.), nullius est momenti. Quivis enim in fide intelligenda profectus aut quatenus cum notionibus jam ante conceptis cohæret, aut quatenus ab iis discrepat, spectari

potest: si illam viam sequeris, ex prioribus sequentia oriri, si hanc, nova nasci dici possunt. Præterea id tenendum esse monemus, jure summo exspectari, Joannem Apostolum a communi omnium Apostolorum doctrina, quæ externum Christi reditum sperare nos jubeat, minime esse alienum.

At, objicit nobis Lückius, idealem hujus dogmatis intelligentiam in Joanne non sensim esse ortam, ex eo patet, quod sermones Christi, a Joanne memoria servati nobisque traditi, eam jam exhibuerunt. Respondemus primum, minime pro certo affirmari posse, Joanni, quum Apocalypsin scriberet, solummodo historicam hujus dogmatis partem cognitam fuisse. Deinde, si Apocalypseos auctorem non nisi inferiorem hujus doctrinæ cognitionem habuisse statuere placeat, nihilo minus et sermonum Christi auctoritas et evangelistæ veracitas optime defendi potest. Sermonibus Christi a Joanne traditis colorem Joanneum non deesse, eorum cum prioribus evv. et cum epp. Joanneis comparatio nos docet. Verum ficti non sunt: servavit Evangelista verborum Domini veritatem, ipseque ille modus, quo ea reddit, ex Christi institutione profectus habendus est. Quæ Christus docuit, dixit, fecit, ea cuncta memoriæ mandabant, qui testes ejus futuri essent: at non statim omnia intelligebant. Spiritus autem Sanctus omnia eos edocturus erat, omniaque, quæ Dominus ipsis dixit, in memoriam iis revocaturus. Constat ex evangeliis, quoties obscura Domini verba non perspexerint, quæ tamen memoria

servata et post intellecta nobis referunt (Marc. 9, 32. Luc. 2, 19. 50. 51. 9, 45. 24, 11. 21 sqq. Joh. 2, 22. 12, 32 sq. 18, 32). Ita fieri potuit, ut sermones Christi animo quasi reconditi jacerent, nondum intellecti: quorum autem vim ubi Spiritus Sancti ope perspexerint, exposuerunt, quæ Dominum dixisse probe recordabantur.

Quibus disputatis, diversitatem illam ab authentiæ adversariis notatam cum authentia constare posse, nos demonstrasse putamus. Verum argumentationi jam allatæ ea addi possunt, quæ objectioni refutandæ nostræque sententiæ vindicandæ egregie inserviant.

Ut reditus Christi in Apoc. ratione historica, in evang. et epp. ratione ideali exponeretur, diversa librorum indoles magna ex parte effecisse videtur: illam enim prophetiæ poëticæ, hanc institutioni dogmaticæ aptiorem esse patet. At contrariæ docendi rationis vestigia iisdem libris non deesse monstrare possumus (cfr. Mth. 28, 20).

Adventus Christi internus Apoc. loco 3, 20 (coll. 2, 5. 16. 3, 3.) aperte describitur (cfr. evang. 14, 23): igitur in ea prophetiæ parte, quam reliquis scriptis Joanneis similiorem exspectandam esse jam ante diximus.

In evangelio communis dogmatis ratio habetur cap. 5, 28. 29. et 12, 48 (cfr. Rom. 2, 12): indicatur his locis status resurrectionis (cfr. ev. 6, 39. sqq. 11, 24) et judicii dies (ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ). Reditus Christi visibilis certo tempori adstrictus

verbis evang. 21, 22 sq. ἕως ἔρχομαι diserte innuitur (coll. Apoc. 2, 25: ἄχρις οὗ ἄν ἥξω. 1 Cor. 11, 26: ἄχρις οὗ ἔλθῃ. Mth. 16, 27. 28. 1 Thess. 4, 15. sqq.). In 1 epist. præter ea, quæ de Antichristo reperiuntur, locus 2, 28 imprimis est afferendus. Verba enim ὅταν φανερωθῇ et ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ (cfr. 1 Joh. 2, 18 ἐσχάτη ὥρα. vide Lücke Comm. 3 Th. p. 143 sqq.) visibilem Christi ad judicium appariturі reditum luculenter describunt (concedente Lückio l. c. p. 152 cfr. 1 ep. 4, 17. ἡ ἡμέρα τῆς κρίσεως): eadem vocabula in hac re tradenda ceteris Apostolis sunt usitata (cfr. Col. 3, 4. 1 Petr. 5, 4. Matth. 24, 3. 39. Jac. 5, 7. 8. 1 Thess. 2, 19. 2 Thess. 2, 1. vide Heydenreich über 2 Thess. 2, 1 — 12 in Winer's u. Engelhardt's Journ. 8 B.)

§. 30.

Antichristus, objicere pergunt, alius in Apoc., alius in epp. Joanneis describitur. Illic princeps est, in quo externa mundi potentia, Christo opposita, consummata cernitur: hic autem Christo et spiritui divino eo adversatur, quod fidem vitamque christianam corrumpere conatur, spiritusque antichristi, ex mali gremio ortus, pseudoprophetiæ atque incredulitatis auctor, multos gignit antichristos.

Hanc varietatem, quam in eodem dogmate explicando apud Joannem observamus, facile explicare possumus. Cognitum fideque receptum ponit Joannes in 1 ep. (2, 18. 4, 3) commune illud dogma, ὅτι ὁ ἀντίχριςος ἔρχεται; omnem hujus futuri ad-

versarii vim non exponit: observat modo, illius efficaciam jam esse conspicuam, multos, spiritu antichristi actos, antichristorum nomine esse notandos, eos nimirum, qui in ipsa ecclesia christiana pseudoprophetiæ, fucatæ fidei, errorum periculosorum auctores prodierint. Habemus igitur hic universalioris dogmatis applicationem certis peristasibus adaptatam; ipsius antichristi vim ad solos istos homines constringendam esse, Joannes nequaquam dicit [1]) et Apostolicæ doctrinæ analogia credere nos vetat. Apostasia enim partem tantum constituit efficaciæ Antichristi ejusque adventum quasi præparat (cfr. 2 Thess. 2, 3. 1 Tim. 4, 1. 2 Tim. 4, 3. 2 Petr. 2, 1): cujus apostasiæ — ut ceterorum adventantis Antichristi signorum — vestigia suo tempore agnoscunt Apostoli (1 Tim. 1, 19. 6, 3. 21. 2 Tim. 2, 17. Jud. 4). Sic quoque Apocalypsis in falsis doctrinis spargendis, in pseudoprophetia gignenda Diaboli studia apparere, diserte docet (16, 13. 19, 20. cap. 13), at cum hac interna Antichristi potentia externam jungit Christo æque hostilem: eodem modo Paulus 2 Thess. 2, 3. 4. conamina τοῦ ἀντικειμένου delineat. Quod illum Apocalypseos principem, τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς

[1]) Oecumenius ad 1 Joh. 4, 3: οἱ πρόδρομοι τοῦ Ἀντίχριςου. ἐν τῷ κόσμῳ εἶναι ἤδη τὸν Ἀντίχριςόν φησιν, οὐ σωματικῶς, ἀλλὰ διὰ τῶν προςοδοιποιούντων αὐτοῦ τὴν παρουσίαν, ψευδοπροφητῶν καὶ ψευδαποστόλων καὶ αἱρεσιωτῶν.

ἀβύσσου, (cujus potestas ex Diabolo repetenda Apoc. 13, 2. 4) imaginem historicam esse Lückius notat, eo nulla discriminis species indicatur; nam illi quoque Antichristi, quibuscum belluam Apocalypticam comparare Lückio placet, imagines historicæ dicendi sunt.

§. 31.

Huic objectioni alia simillima est: nimirum duplicem eam, quæ Apoc. **20**, 4—15 describatur, resurrectionem Apocalypsi peculiarem, a Joanne Apostolo alienam esse.

Non est mirandum, eas fidei doctrinas, in quibus tractandis liber noster imprimis versatur, in eo accuratius et plenius exponi, quam in reliquis libris sacris. Itaque ex eo, quod diligentior sententiæ cujusdam delineatio, quam Apocalypsis exhibeat, evangelio deest, nullam objectionem petendam esse patet; idque eo minus, si quæ Apoc. uberius exposuit, aliis quoque Sacræ Scripturæ locis indigitantur, ut communem Apostolorum fidem Joannem etiam amplexum esse mirum videri nequeat. Apocalypsis duplicem ἀνάςασιν distinguit, τὴν πρώτην, qua sanctis Christianis imperium et sacerdotium continget; et alteram, quam judicium universale excipit. Hocce resurrectionis discrimen soli Apocalypsi peculiare dici nequit: indigitatur enim ab aliis scriptoribus sacris; cfr. Luc. 14, 14. 15. ἡ ἀνάςαςις τῶν δικαίων (coll. Luc. **20**, 35). 1 Cor. 15, 23 sqq. ἀπαρχὴ Χριςὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριςοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ· εἶτα τὸ τέλος coll.

Phil. 3, 11. 2 Thess. 1, 5. Matth. 25, 31 sq. (vide Olshausen ad h. l. l. c. Th 1. p. 918 sq.). Quo intellecto, hujus expositionis vestigia brevissimæ resurrectionis commemorationi ev. 5, 28 haud deesse videri, interpretis est animadvertere; priori enim resurrectioni nullum aptius nomen, quam ἀνάςασις ζωῆς, alteri nullum aptius, quam ἀνάςασις κρίσεως (cfr. Apoc. 20, 4 sqq. 12 sq.). Quod resurrectionis imagine evangelium Joanneum utitur ad fidei efficaciam describendam, id Apocalypseos adumbrationi nequaquam adversari, vix est, quod moneam: ipsa illa verba: ἔχει ζωὴν αἰώνιον καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν per doctrinam Apocalypseos illustrari posse videntur. Quod in evangelio resurrectionis auctor Christus describitur, id autem in Apocalypsi omittitur, diversitas dici vix potest. Cur tandem alter liber alterius verba semper repeteret? Nonne et nexus loci Apocalypseos et aliorum effatorum analogia, quibus Christum homines præmiis et poenis afficientem describit Apocalypsis, nobis persuadent, mortuorum resuscitationem ab Apocalypseos auctore Christo tributam esse?

§. 32.

Apoc., objicit Lückius, vitam christianam omnino alia ratione contemplatur, ac evang. et epp. Illa V. Test. sentiendi cogitandique modum prorsus refert; in his autem lætitia et tranquillitas christiana est vitæ fons et fundamentum.

Cui observationi hæc opponimus. Referunt scripta Joannis eandem sensuum varietatem, quam cujusvis Christiani, quam ipsius Christi vita: mox præsenti rerum statu pressi, futura Dei auxilia precibus imploramus, spe amplectimur: mox veræ beatæque vitæ germini mente pia recepto læti inhæremus, terraque relicta fidem christianam vinci nesciam omniaque vincentem confidenter celebramus. Mutata rerum externarum forma, mutatur quoque externa animi christiani imago; argumenti indoles, quo tractando mens occupatur, vim suam exserit in sensibus sibi congruis excitandis. Evangelium et epistolæ auctorem nobis ostendunt res in facto positas simplici stylo tradentem, vitæ christianæ præstantiam summo studio delineantem, profundis fidei thesauris eruendis totum deditum: placidus est senis sermo. At prophetæ animo pressus ecclesiæ status, crudeles vexationes, piorum cædes, impiorum dominatio, gens sceleribus inquinata vivide obversantur: quidni lætitiæ christianæ doloris et tristitiæ affectus se adjungerent, quidni in futura rerum vicissitudine describenda hi sensus prævalerent, quidni ob præsentem ecclesiæ externæ conditionem adspectu adeo tristem futuri temporis victoriam lætus celebraret vates? Quare per mortem ἀνάπαυσις sanctis contingit (Apoc. 14, 13). Deesse vero Apocalypsi lætitiæ christianæ fontem, injuria dicunt: victoriæ enim mox et certo reportandæ alta voce resonat spes: sic quoque ex altera parte Evangelium non omittit θλίψεως commemorationem largo flumine Christianos invasuræ.

Patet igitur, qua ratione Apocalypsis Vetus Testamentum referre dici possit: at patet simul, libri indolem christianam et apostolicam eo neutiquam tolli. Quam si uberius probari necesse esset, provocaremus ad universalem salutis christianæ gratiam sæpe celebratam (Apoc. 5, 9. 7, 9. 21, 26. 22, 2 sqq. coll. evang. 10, 16. 11, 51. 12, 20 sqq.) et ad spiritualem cultus christiani naturam symbolice indicatam (Apoc. 21, 22. coll. ev. 4, 23).

Addit Lückius, Joannem Apostolum, si et Apocalypseos et Evangelii auctor habeatur, sibi, quatenus ad effectus ejus hstoricos respiciatur, ipsum adversari: Chiliasmum enim Apocalypsi excitatum, saltem nutritum, ceteris autem scriptis impugnatum esse. Quæ observatio si vera esset, libri nostri authentiam nullo modo suspectam redderet: prava enim interpretatione ex libris sacris diversissima quævis extorta esse, satis constat. Ipsi Lückio non placet, ex Apocalypsi aliquid, quod Chiliasmum referat, derivare; locum enim cap. 20, 4 sq. de ecclesia christiana sensim perficienda symbolice interpretandum esse innuit (Einl. p. 476. 485), interpretes sat multos sequens. At quomodocunque explicandus sit, id manifestum est, nihil in illo loco dici, quod spirituali, puriore evangelii institutione impugnetur. Nam nihil omnino promittitur, quod ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκός indulgeat; voluptatum exspectatio vel descriptionis brevitate excluderetur, nisi eam disertis verbis (ἅγιος, ἱερεῖς τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ al.) plane tolli quisque cerneret.

§. 33.

„Apoc. in doctrina de Deo patre, de Christo et de Spiritu Sancto ab evang. et epp. Joanneis plane differt."

Quantulum huic objectioni sit tribuendum, paucis ostendemus. Evangelista, inquit Lückius, Deum Christi hominumque patrem semper describit, cujus naturam amor efficiat; at Apoc. Deum omnium rerum Dominum, severum mundi judicem celebrat. Provocamus ad ea, quæ de diversa librorum indole jam exposuimus. Cæterum quisque videt, alteram Dei notionem altera non tolli, sed cum ea esse conjungendam, ut vera et plena evadat. Præterea in Apoc. Deus Christi pater vocatur (1, 6), Christus Dei filius (2, 18): Christus Deum vocat ὁ θεός μου et in Apoc. (2, 7. 3, 12) et in evang. (20, 17): neque evangelium summam patris potentiam reticet (10, 29). Dei amorem in Apoc., Dei justitiam in evang. prædicari, vix est, quod moneamus.

„Christus in Apoc. non dicitur servator mundi, non est amoris divini idea in carne revelata, apud Deum semper pro nobis intercedens." Iniqua est hæc objectio: eximius enim christologiæ consensus luculenter apparet. In Apoc., ut in evang., Christus est ὁ λόγος et ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ: stirpis humanæ progenies (Apoc. 5, 5. 22, 16. coll. ev. 7, 42) et natura sublimior, dignitatis regiæ et divinæ (Apoc. 1, 5 sq. 3, 21. 5, 6. 8 sqq. (coll. evang. 5, 23) 7, 10. 17. 12, 5. 19, 16. 22, 1. 3. 13.). Idem Deo omnia accepta refert (Ap. 1, 1. 2, 27. 3, 21. ev.

5, 20 sqq. 10, 18. 17, 7 sq.). Salus per eum hominibus parata toti hominum generi offertur (Apoc. 5, 9. 7, 9. 21, 24 sq. 22, 2 sq. ev. 10, 16. 11, 51 sq. 12, 20 sq.). Gratiæ consortium debetur redemtioni sanguine ejus comparatæ, amoris documento (Ap. 1, 5. 5, 9. 7, 14. 12, 11. 14, 4. 1 ep. 1, 7. 9. 2, 2. ev. 10, 15. 18. 6, 51. 11, 51 sq.). Conferri quoque possunt Apoc. 1, 1. 2, 2. 9. 13. 19. 3, 1. 8. 15 cum ev. 1; 49 sq. 2, 24 sq. 4, 17 sq. 6, 6. 61. 64. 70. 13, 1. 11. 18 sqq. 16, 29 sqq. 21, 17 sqq.

Spiritus Sanctus, inquit Lückius, paracleti nomine in Apoc. non gaudet; revelatio divina in Evangelio τῷ λόγῳ, in Apoc. spiritui septiformi adscribitur. — De illo vocabulo in Apoc. omisso jam ante diximus; ea paracleti efficacia, quam Christus describit ev. 16, 8. 13. (ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως — καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν) toto libro nostro comprobatur. In evangelio Joannis revelationem ex Spiritu quoque dirivari, neminem latet (1, 32. 3, 34): post Christi abitum Spiritus Sanctus doctrinam revelatam conservabit, explicabit, communicabit, docente Joanne evang. 7, 39. cap. 14. 15. 16. 1 ep. 2, 20 sqq. 5, 6. coll. Apoc. 22, 17., ut plenus sit hac in re consensus. Spiritum Sanctum a propheta symbolice (septem spiritus, lampades, oculos) depingi, non tam mirandum est, quam exspectandum. (Apoc. 1, 4. 3, 1. 4, 5. 5, 6. coll. Esai 11, 2. Zach. 3, 9. 4, 10. 9, 1.). Hac symbolica descri-

ptione spiritus neque unitas (Apoc. 2, 7. 11. 17. 29. 3, 6. 13. 22. 14, 13. 19, 10) neque divinitas (cfr. salutation. Apoc. 1, 4 cum Mth. 28, 20. 1 Cor. 12, 4—6. 2 Cor. 13, 13. 1 Petr. 1, 2) tollitur. In eo quoque consensus apparet, quod et in Apoc. (1, 4. 3, 1. 5, 6. 22, 6) et in Evang. (14, 16. 25. 15, 26. 16, 7. 14) Spiritus Sanctus tam Deo quam Christo adjungitur.

§. 34.

Denique Angelologiam Apocalypseos ab evang. Joannei auctore alienam esse, Lückius contendit. In Evangelio enim angelos tantum esse specialis providentiæ ministros, consilio spirituali, ethico missos: id quod solum conveniat fidei christianæ.

An angelos hoc solo nomine a Deo mitti, fides christiana nos doceat, longa disputatione haud eget; libros N. Test. angelorum apparitiones his finibus non circumscribere, nemo ignorat (cfr. Olshausen bibl. Comm. Th. 1. p. 45). Neque Joannes Evangelista, licet Lückius ad eum provocet, hanc regulam sequitur; ev. 10, 12 sq. de angelorum apparitione eodem modo loquitur, quo reliqui sacri scriptores (cfr. Luc. 24, 4. Mth. 28, 2 sq.). Re accuratius considerata, patebit, ex Angelologia Apoc. nullam monstrari posse doctrinæ indolem ab evangelio abhorrentem. Apocalypsis enim eorum exhibet descriptionem, quæ mentis oculis (cfr. Dan. 10, 7) vidit Apostolus, spiritu divino abreptus, (רוח ,יד־יהוה): est, sicuti se ipsa vocat, (Apoc.

9, 17) ὅρασις (coll. Act. 2, 17. ὅραμα Act. 10, 3. 17. 19. 11, 5. 16, 10. 19. 18, 9. 2 Cor. 12, 1. מראה, מראות אלהים, חזון. εἶδον ἐν ἐκςάσει ὅραμα Act. 11, 5.). Ex quo sequitur, Apocalypsin non nisi symbola exhibere (qualia sunt agnus, stellæ, cerastæ, scortum aquis insidens, urbs al.), non autem res ipsas ita vere comparatas (cfr. Stäudlin Neue Beitr. z. Erläut. d. bibl. Proph. p. 125 sqq.). Itaque Angelologia Apocalypseos non est dogmaticæ, sed poeticæ indolis: angeli ea perficere dicuntur, quæ alias sub visionis forma haud apte delineari possent (cfr. Apoc. 7, 1 sqq. 14, 6. 18. 16, 5 al.). Auctorem Apoc. angelis vere ea munera, eam indolem attribuisse, quam in hoc libro poetico præ se ferunt, ex ipsa Apoc. male elicitur: eodem jure dixeris, prophetam docere, aquilam loqui vel draconem igneum stellas cauda in terram dejicere. Quo intellecto, nos non offendet, per angelum Joanni revelationem communicari. Nam mysteriorum divinorum revelatio in Apoc. æque ac in Evang. ad Christum ejusque Spiritum refertur (Apoc. 1, 1. 10. 2, 7. 11. 17. 29. 3, 6. 13. 22. 4, 2. 17, 13. 19, 10. 22, 6. 17): quare angelus — licet revelationis quasi minister (Ebr. 1, 14) — non est nisi frater prophetæ, nullusque ei exhibendus est honor divinus (Apoc. 19, 10. 22, 9. coll. Dan. 8, 18). Angelos in visionibus suis describendis adhibet Joannes, exemplum sequens prophetarum (Zach. 1, 9. 2, 3. Dan. 9, 21. 10, 5. 12, 5 sq.), analogiam N. Test. (Math. 1, 20. 2, 13. Act. 10, 3. 22. 30. 16, 9. im-

primis 8, 26. 29.). — De angelis ecclesiarum cfr. Heinrichs comm. excurs. 1. Ewald ad 1, 20. Lücke Einleit. p. 7. 245. 387.

Finito jam objectionum contra Apostolicam Apoc. authentiam prolatarum examine, indicata simul ea similitudine, quæ libro nostro cum reliquis scriptis Joanneis intercedit, nihil omnino obstare ostendisse non putamus, quo minus interna Apoc. indoles eundem admittat libri auctorem, quem constans ecclesiæ traditio, indubium ipsius Apoc. tastimonium fimissime tuentur, Joannem nimirum Apostolum.

Vindicata igitur prophetiæ christianæ authentia, quod suscepimus perfecisse nobis videmur; appendicis instar de hypothesi Lückiana, aliam Apoc. originem conjiciente, nonnulla disputabimus, quibus, quam sit nostra de auctore sententia multo præstantior, fore ut pateat speramus.

§. 35.

Relicta historica traditione, aut nihil certi de auctore constitui posse (Ewald. comm. p. 79. cfr. Heinrichs comm. prolegg. p. 51) aut, integritate sublata, Apocalypsin non unius scriptoris habendam esse (Vogel. cfr. Lücke Einl. §. 47) aut alium quendam libri nostri auctorem conjectura esse indagandum judicarunt illi, quibus Apostolica Apoc. authentia non videbatur concedenda. Quousque autem in hisce conjecturis effingendis processerit criticorum licentia, eorum nos docet exemplum, qui Ce-

rinthum [1]) et qui Joannem quendam theologum [2]) Apoc. auctorem excogitarunt. Earundem conjecturarum consideratio ostendit, eos, qui historiæ veritatem spernant, obscura et dubia traditionis vestigia summo studio arripere; Joanni enim cuidam Presbytero Apocalypsin adscribendam esse [3]), sententia est, quæ nulla traditionis auctoritate stabiliri potest.

Nobis non placet, hasce conjecturas singulatim exponere, examinare, refutare. Satis erit, earum novissimam, auctoris nomine commendatam, crisi subjicere.

Apostolo Joanni, conjicit Lückius p. 390 sqq., contigit revelatio de regno divino olim victore adeo perspicua, ut graviores hujus victoriæ vicissitudines, certis quibusdam rebus in facto positis conspicuæ, ipsi manifestæ redderentur. Cujus revelationis argumentum ecclesiis Asiæ minoris narratione Joannis innotuit: homo quidam christianus, ingenio haud vulgari ornatus, poeseos apocalypticæ amans, revelationem Joanneam suo modo describere et per singula eundo exponere conatus est, ut revelatio ecclesiarum memoriæ servaretur, ut, singulis rebus accuratius adumbratis, majorem vim in hominum animos exerceret. Ut autem originis vestigia ne

1) Ut recentiore tempore Oeder, Stroth, Semler, Merkel (et Corrodi), Alogorum vestigia sequuti.

2) ita Ballenstedt (cfr. Heumann in Actis Eruditorum. T. 6. Suppl. p. 170 sq. Poecile T. 3. p. 220 sq.)

3) quam conjecturam amplectuntur Bleek, de Wette, Paulus, Dionysium Alexandrinum (et Eusebium) sequentes.

delerentur, Joannem Apostolum, quantum potuit, agentem et loquentem referre studuit. Inde orta est externa libri species, Joannem Apostolum præ se ferens, inde factum, ut hic illic inspergerentur, quæ Apostoli imaginem nobis revocarent. Singularum autem partium fictio, totius libri indoles illum imitatorem produnt.

Hanc hypothesin omnibus omnino historicorum testimoniorum vestigiis destitutam esse, ipse auctor fatetur. Cur igitur ad eam delabitur? Necessaria est, inquit, ut phænomena, sibi alias contraria, explicentur, nimirum traditio, quæ Apocalypsin ad Joannem auctorem refert, et libri indoles, quæ Joannem excludit. Ostendimus, hanc necessitatem, de qua Lückius loquitur, reapse non inveniri: quare nullo eam fundamento niti, evictum ponimus. Attamen placet, præsidia, quibus conjecturam tueri conetur, explorare.

Omnino necessarium esse, ut conjectura ullo modo verisimilis habeatur, eam neque analogia destitutam neque a peristasibus in facto positis alienam monstrare, recte intellexit Lückius. Quæ autem, ut justis hisce legibus satisfaceret, attulit vir doctissimus, admodum levia esse facile patebit.

Primum quod analogiam attinet, eam „valde mancam" esse, ipse hypotheseos auctor non diffitetur: aliis nulla forsan videbitur. Mali profecto ominis est, quod ex dubiis (ne dicam falsis) de origine prophetiæ Danielis et secundæ Petri epistolæ conjecturis arma petere non recusat; incerta

vero incertis vix probata redduntur. Sola analogia, quam affert Lückius, hæc est, quod ex scriptis apocryphis apocalypses haud paucæ auctoris ementiti celebritate se commendare audent. At quis non videt, hanc analogiam non esse magni faciendam? Sermo est non de scriptiuncula apocrypha, cujus titulum mendacio fictum vel misera ipsius indoles demonstraret: at loquimur de libro canonico, libro Novi Test., qui, vivente adhuc Apostolo, cujus nomen sibi arripuit, a scriptore ignobili sit effictus, illius auctoritatem sibi arrogans, idque in iis regionibus, ubi idem Apostolus diu vivebat, publice docebat. Accedit, quod hujus libri indolem a lingua, stylo et ideis ejusdem Apostoli toto coelo distare, hypotheseos auctor affirmat.

Neque peristases historicæ in hanc conjecturam quadrare videntur. Parum enim Lückio prodest, quod ei concedimus, re per se spectata, nihil impedire, quo minus revelationem Joanneam ab homine quodam christiano exponi, eoque mutari potuisse cogitemus. Re accuratius considerata, difficultates haud paucæ nascuntur. Apocalypsin ante annum 70 p. Chr. n. scriptam esse, ipse Lückius constituit. Homo nescio quis eam composuit; edita est Joannis Apostoli nomine: attamen neque linguam ejus neque doctrinam exhibuit. Literas in fronte gerit, iis ecclesiis christianis missas, in quibus gubernandis Apostolus versabatur. Hæ literæ eos, quibus scriptæ sunt, graviter castigant, severe adhortantur, vitiorum accusant, ob segni-

tiem reprehendunt: postulant religiosum obsequium. Totus liber sacer haberi vult (1, 3. 22, 18 sq.). Divulgatur, vivente Apostolo, cujus auctoritate abutitur, idque in iis regionibus, ubi ille omnibus Christianis cognitus erat. Attamen constans de ejus authentia Apostolica ecclesiæ traditio, nulla de libro nostro per ducentos annos dubitatio, ne levissimum quidem vestigium, quod eum ab Apostolo reprobatum innuat, quod eum ab ecclesiis pro ficto carmine habitum esse indigitet. Forsan, Lückius dubitanter conjicit, Joannem Apostolum semper latuit hæc Apocalypsis. Latuit? Num earum, quibus mittebatur, ecclesiarum præsidem, qui diu post in illis terris vivebat, latere potuit prophetia, quæ latere ipsa prorsus noluit (22, 10)? Viderit ergo Joannes, inquit hypotheseos auctor [1]), librum nostrum: quidni fieri potuit, ut nullam in hac re fraudem notandam putaret? quidni librum, re in facto posita superstructum, doctrinam Apostolicam, licet non Joanneam, tradentem, ea, qua frueretur, auctoritate stare passus esset? Verum aliud est, doctrinam contrariam pati, aliud suo eam nomine confirmare; aliud est, aliorum in fide propaganda studia, licet sibi non omnino placeant, non impedire, aliud, librum Apostolicam auctoritatem ementitum invita veritate approbare. Constat, jam ævo Apostolico morem turpissimum

[1]) Alio loco (Theol. Stud. u. Kritik. 1829. 2 H. p. 319) aliter de hac re judicavit ipse Lückius (cfr. Schleiermacher üb. d. 1st. Timoth. p. 233).

ortum esse, Apostolorum nominibus in scriptis nothis fingendis abuti (2 Thess. 2, 2. cfr. Euseb. h. e. 4, 23. 5, 20.): at mihi non constat, eum ab Apostolis fuisse sancitum. (cfr. Tertull. de baptism. c. 17. Hier. catal. 7.). Neque minus improbabile, ecclesias christianas librum ipsis scriptum, ipsas hic illic severe castigantem, Joanni Apostolo tributuras fuisse, nisi illius origo iis certo cognita esset. Indoles libri num Joannea, an a Joanne aliena dicenda esset, si non ex Apostoli scriptis, ex ejusdem institutione orali judicare potuerunt. Nullane Ephesi, Sardibus, Laodiceæ vox contra objurgationes Apostolo suppositas audita esset?

Fraudem ab ignoto isto scriptore commissam vulgari illorum temporum more excusandam censet Lückius, eaque ne quis offendatur, postulat. At Sacræ Scripturæ auctoritas perversis ævi cujusdam opinionibus vix est superstruenda: æternæ veritatis regulis ut congruant, jure exigimus. Neque propheta noster huic indignæ suspicioni ullam dedit ansam; ubique probitas, integritas conspicua est, a quovis mendacio et fraude aliena, sincerrimus veri amor, summa in dicendo gravitas, severitas. Sibi revelationem contigisse, sibi ejus scribendæ munus divinitus impositum esse, diserte dicit: eique in hæc re fidem habendam esse, nobis persuasissimum est.

Distinguendam esse contendit Lückius revelationem Joannis originariam, rem in facto positam, ab Apocalypseos compositione: utriusque discrimen

nusquam accurate exponit, ut quantum Joanni tribuendum sit non appareat. Alio loco (p. 390) statuit, regni divini victoriam de mundo reportandam ita Joanni fuisse revelatam, ut in factis quibusdam historicis ipsi conspicua fieret. Quæ si visionis fuerit summa (p. 391), patet, stamina totius descriptionis esse Joannea, ipsamque totius libri ideam (cfr. p. 380: „Die äußere Entwickelung des göttlichen Reichs und Gerichts"), qua Lückius imprimis offenditur, ab Apostolo nostro neutiquam fuisse alienam. Sed alio loco (p. 403) nihil, quod ad Joannem vere pertineat, statuere videtur, nisi quod illi revelatio quædam contigerit. Hac sententia admissa, quævis originis Apostolicæ vestigia ex Apocalypsi tolluntur.

Temporis quoque ratione habita, hypothesin difficultatibus haud diffitendis premi, ipse Lückius (p. 403) sensisse videtur.

Ex iis, quæ attulimus, quam sit arbitraria Lückii in hac re conjectura, nos ostendisse putamus. Eam aliquatenus recipere videtur Paulus Heidelbergensis (Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 458 sqq.), at adeo exornatam et mutatam, ut Lückio probari non possit. Paulus enim Joannem illum Presbyterum haud exigua scriptorum copia ornat: non solum Apocalypsin scripsisse ipsi videtur, verum quoque Epistolas omnes Joanneas: neque id tantum: collegit quoque evangelii Joannei fragmenta, eaque, nonnullis hic illic additis, in præsentem libri formam redegit. Et unde, dubitanter forsan quæsiveris, unde vir ille sagacissimus id colligit? „Die Haupt-

gedanken des Prologs im Evangelium," hæc sunt verba ejus, und anderer von dem Sammler dazwischen eingerückten pragmatischen Bemerkungen, wie 3, 16—21. 3, 31—36 scheinen mir (zwar nicht in der Sprechart, aber desto mehr) in den Begriffen von dem Inhalte der Reden Jesu über sich in einer noch wichtigern Verschiedenheit zu stehen, als der Sinn der Apokalypse mit dem Geiste des Evangeliums." Ex quo id patere videtur, quam sint vagæ ejusmodi argumentationes.

Hypothesis Lückiana non est nisi simillimæ Schottii de hac re opinionis accuratior expositio. Hic enim (Isag. §. 116. §. 117.) origines quasdam Joanneas, aramaice scriptas, a discipulo quodam Apostoli græce exornatas, post Joannis mortem editas fingit. Quam conjecturam Lückiana non esse verisimiliorem, multis monstrare haud opus est.

§. 36.

Via historica et critica Apocalypseos authentiam vindicavimus, librum nostrum Apostolicæ auctoritatis honore ornandum esse evicimus. Loco, in quem eum restituimus, indignus profecto non est dicendus: etiam huic prophetiæ, sicuti reliquis libris sacris, affuit Sancti Spiritus testimonium [1]), quo eam fide divina amplectandam esse Christianis persuaderetur. „Dominus rediturus est, judicare vivos et mortuos" hæc est vox, undique resonans ex Apocalypseos volumine. Hæc spes prophetica,

[1]) Twestens Dogmatik. §. 29.

quo major erat miseriæ moles, quo tristior rerum conditio, eo lætiora promisit tempora futura: dolorem calamitatibus excitatum mitigavit, patientiæ virtute animum corroboravit. Docuit Christianos, quo modo humanæ sortis vicissitudines essent considerandæ; rerum contemplationi ideas religiosas impressit. Alii canonis nostri libri ad doctrinam christianam clarius intelligendam plus profuerunt: at Apocalypseos fervor poesin Christianis sacram [1]) excitavit, nutrivit, efformavit, sensus pios et sublimes pectori instillavit, vitæque christianæ hac quoque via perficiendæ præsidia comparavit gravissima.

[1]) Herder's Werke. Zur Relig. u. Theol. 7 Th. p. 449.

nusquam accurate exponit, ut quantum Joanni tribuendum sit non appareat. Alio loco (p. 390) statuit, regni divini victoriam de mundo reportandam ita Joanni fuisse revelatam, ut in factis quibusdam historicis ipsi conspicua fieret. Quæ si visionis fuerit summa (p. 391), patet, stamina totius descriptionis esse Joannea, ipsamque totius libri ideam (cfr. p. 380: „Die äußere Entwickelung des göttlichen Reichs und Gerichts"), qua Lückius imprimis offenditur, ab Apostolo nostro neutiquam fuisse alienam. Sed alio loco (p. 403) nihil, quod ad Joannem vere pertineat, statuere videtur, nisi quod illi revelatio quædam contigerit. Hac sententia admissa, quævis originis Apostolicæ vestigia ex Apocalypsi tolluntur.

Temporis quoque ratione habita, hypothesin difficultatibus haud diffitendis premi, ipse Lückius (p. 403) sensisse videtur.

Ex iis, quæ attulimus, quam sit arbitraria Lückii in hac re conjectura, nos ostendisse putamus. Eam aliquatenus recipere videtur Paulus Heidelbergensis (Heidelb. Jahrb. 26 Jahrg. 5 H. p. 458 sqq.), at adeo exornatam et mutatam, ut Lückio probari non possit. Paulus enim Joannem illum Presbyterum haud exigua scriptorum copia ornat: non solum Apocalypsin scripsisse ipsi videtur, verum quoque epistolas omnes Joanneas: neque id tantum: collegit quoque evangelii Joannei fragmenta, eaque, nonnullis hic illic additis, in præsentem libri formam redegit. Et unde, dubitanter forsan quæsiveris, unde vir ille sagacissimus id colligit? „Die Haupt-

gedanken des Prologs im Evangelium," hæc sunt verba ejus, und anderer von dem Sammler dazwischen eingerückten pragmatischen Bemerkungen, wie 3, 16—21. 3, 31—36 scheinen mir (zwar nicht in der Sprechart, aber desto mehr) in den Begriffen von dem Inhalte der Reden Jesu über sich in einer noch wichtigern Verschiedenheit zu stehen, als der Sinn der Apokalypse mit dem Geiste des Evangeliums." Ex quo id patere videtur, quam sint vagæ ejusmodi argumentationes.

Hypothesis Lückiana non est nisi simillimæ Schottii de hac re opinionis accuratior expositio. Hic enim (Isag. §. 116. §. 117.) origines quasdam Joanneas, aramaice scriptas, a discipulo quodam Apostoli græce exornatas, post Joannis mortem editas fingit. Quam conjecturam Lückiana non esse verisimiliorem, multis monstrare haud opus est.

§. 36.

Via historica et critica Apocalypseos authentiam vindicavimus, librum nostrum Apostolicæ auctoritatis honore ornandum esse evicimus. Loco, in quem eum restituimus, indignus profecto non est dicendus: etiam huic prophetiæ, sicuti reliquis libris sacris, affuit Sancti Spiritus testimonium [1]), quo eam fide divina amplectandam esse Christianis persuaderetur. „Dominus rediturus est, judicare vivos et mortuos" hæc est vox, undique resonans ex Apocalypseos volumine. Hæc spes prophetica,

[1]) Twestens Dogmatik. §. 29.

quo major erat miseriæ moles, quo tristior rerum conditio, eo lætiora promisit tempora futura: dolorem calamitatibus excitatum mitigavit, patientiæ virtute animum corroboravit. Docuit Christianos, quo modo humanæ sortis vicissitudines essent considerandæ; rerum contemplationi ideas religiosas impressit. Alii canonis nostri libri ad doctrinam christianam clarius intelligendam plus profuerunt: at Apocalypseos fervor poesin Christianis sacram [1]) excitavit, nutrivit, efformavit, sensus pios et sublimes pectori instillavit, vitæque christianæ hac quoque via perficiendæ præsidia comparavit gravissima.

[1]) Herder's Werke. Zur Relig. u. Theol. 7 Th. p. 449.